IACOBI BROCARDI

PARTITIONES ORATORIAE,

Quibus Rhetorica omnia Aristotelis præcepta breuiter, & dilucidè explicantur.

Ad Petrum Andream Codegorum Ferrariensem.

Hîc loci communes Argumentorum, Motiones animorum, & Mores hominum ita exprimuntur, vt Dialectica quoque, & Moralis philosophia se magna ex parte ostendant.

X.

CVM PRIVILEGIO.

2109

Venetijs apud Ioannem Andream Valuassorem, cognomento Guadagninum,
M D LVIII.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, quæ hiſce Partitionibus continentur.

CAPITA DIALOGI PRIMI.

RHETORICA, & Dialectica, quibus rebus differant. car. 15

Rhetorica, & Dialectica, quid ſimile habeant. car. 17.

Quæ dicantur ἀντίστροφα. 19

De officio Oratoris. 19

De utilitate Rhetoricæ. 20

Quæ ſit oratoris uis. 21

Quot in partes Rhetorica diuidatur. 22

Fides quibus rebus fiat. 22

De duobus argumentandi modis, Ratiocinatione, & Inductione. 23

De Vi, & Materia argumentationis Rhetoricæ. 24.

De Veriſimili, Signo, Propria rei nota, & Exemplo. 27

De locis Argumentorum, ac duobus eorum generibus. 28

De tribus cauſarum Generibus. 30

Quæ Partes, Finis, Tempus, cuiq; generi propria ſint. 30

DE GENERE DELIBERATIVO. 31

Quæ conſultent Senatores. 31

De Vectigalibus 31
De Bello, & Pace. 32
De Custodia Regionis. 32
De Cibarijs. 32
De Legumlatione. 32
De Beata uita, & tribus Bonorum generibus. 32
De externis Bonis. 34
De Nobilitate. 34
De Prole bona, & multa. 34
De Diuitiis. 34
De Gloria. 34
De Honore. 34
De corporis bonis, Sanitate, Robore, Magnitudine, Concertatoria uirtute, & Senectute. 35
De Bonis, quæ Fortunæ tribuuntur. 36
De Bonis certis. 37
De Bonis dubiis, & controuersis. 38
De Maiori, & Minori bono. 39
De Generibus Rerump. 44
DE GENERE DEMONSTRATIVO. 44
De Honesto. 45
De Virtute ac eius partibus. 45
Quæ uirtutes sint maximæ. 45
Quæ præter Virtutem ipsam honesta sint. 46
De Honestorum inter se comparatione, Vtrum honestius. 47
De his, quæ uerbotenus, non re et ueritate honesta sunt. 47

De triplici ratione laudandi. 4
De Amplificatione, quæ Demonstratiui generis propria est. 48
DE GENERE IVDICIALI. 49
De Iniuria, quid sit. 49
De septem [illegible] quibus quis alium lædit. 49
Quæ per se, & [illegible] per se agunt homines. 49.
Vtilitas, & Voluptas, propter quas omnia fit. 50.
Loci rerum iucundarum. 50
Qui iniuria afficiunt, quomodo affecti sint. 53
Qui iniuria afficiuntur, quomodo affecti sint. 55
Quæ iniuriose fiant. 56
Quot modis crimina ascribantur. 56
De duobus Iustorum, & Iniustorum generibus. 57.
De Aequo, & Bono, quid sit. 57
Loci Aequitatis. 58
De Maiori, & Minori iniuria. 58
Quæ amplificent iniuriam. 59
De Probationibus artis expertibus. 60
De Lege scripta. 60
Loci ad scriptum infirmandum, & confirmandum. 60.
De Testibus, ac eorum generibus. 61
Loci ad tests infirmandos, & confirmandos. 62.

De Pactis. 62
Loci ad pacta infirmanda, & confirmanda. 63
De Quæstionibus. 64
Loci à Quæstionibus, & contra Quæstiones. 64
De Iureiurando. 64
De Quatuor controuersiis, quæ incidunt, antequam iuretur. 64
De duabus Controuersiis, quæ incidunt, postquam iuratum est. 65

CAPITA DIALOGI SECVNDI.

Tria esse, quibus Auditor causam nobis adiudicat, Argumenta, Conciliatio, Permotio. 67
De Conciliatione, quæ tribus rebus efficitur. 68
De PER Motione animorum. 68
Qui uocentur Motus, quidq; sint. 68
Quot in singulis motibus spectentur. 69
De Ira, quid sit. 69
De causis Iræ, & Contemptione. 69
Qui irascuntur, quomodo sint affecti. 70
Quibus solent irasci homines. 70
De Clementia, Iræ contraria, quid sit. 72
Erga quos Clementes simus. 72
Quæ Clementes sunt, quomodo affecti. 72
Qui ab Ira ad Clementiam deducant. 73
De Amicitia, quid sit Amare, quid sit Amicus. 73
De causis Amicitiæ. 73

Qui amant, quomodo affecti. 74
Quos amare solemus. 74
De Odio, ac Iræ, & Odij discrimine. 76
De Timore, quid sit. 76
Quæ Timorem efficiant. 77
Qui Timeri soleant. 78
Qui Timere soleant. 78
De Fidentia, Timori contraria, quid sit. 78
Quæ afferant Fiduciam. 78
Qui sint Fidentes. 79
De Verecundia, quid sit. 80
Quæ erubescimus. 80
Quos ueremur, quomodo affecti. 81
Qui uerecundia afficiantur. 82
De Gratificatione, quid sit. 83
De Impudentia Verecundiæ contraria. 83
Quæ Gratuita sint 83
Quibus gratificemur. 83
Qui gratificentur. 83
De Misericordia, quid sit. 84
Quæ sint Miserabilia. 84
Quorum Miseremur. 84
Qui miserentur, quomodo affecti. 84
Qui Misericordes sint, quiue non sint. 85
De duobus Miserationi contrarijs, Succensere, et Inuidere. 85
Quomodo Succensere, & Inuidere, inter se differant. 85

Quas ob res succensere solemus. 86
Quibus succenseamus. 86
Qui succensent, quomodo affecti. 87
De Inuidia quid sit. 88
Quæ inuidiam gignant. 88
Quibus solemus inuidere. 88
Qui ad inuidiam procliuiores. 89
De Aemulatione, quid sit. 89
Quæ Aemulemur. 89
Quos Aemulemur 90
Qui Aemulatores sint. 90
De Despicientia Aemulationi contraria. 90
DE MORIBVS, qui ætatem consequuntur. 94
Qui Iuuenum mores. 91
Qui senum mores. 92
Qui Aetatis mediæ mores. 94.
De Moribus, qui Fortunam consequuntur. 94
Qui Nobilium mores. 94
Qui Diuitum mores. 95
Quantum intersit inter ueteres, & nouos Diuites. 96.
Qui mores eorum, qui in Potestate constituti. 96
Qui Fortunatorum mores. 96
DE LOCIS COMMunibus tribus generibus causarum. 97
Quæ fieri possint, aut non possint. 97
Quid factum sit, aut non factum. 99

Quæ futura sint, aut non futura. 100
Quæ formæ argumentandi. 101
De Exemplo. 101
De Collatione. 101
De Apologo. 102
De Sententia, quid sit. 103
Quæ Sententiarum genera 103
Quæ Sententiæ Enthymematicæ, quæ simplices. 104.
Quomodo singulis Sententiarum generibus utendum. 104
De Enthymemate. 105.
Quo ordine confirmationis. loci sint percurrendi. 105.
De Locis communibus Enthymematum. 106
Viginti loci qui ad confirmandum ualent. 107
Sex loci qui coarguunt. 111
Quæ Argumentationes moueant, & delectent. 112
De Enthymematibus nugatoriis, & octo eorum locis. 112
De Reprehensione, & Confutatione. 113
Quomodo Verisimilia refellantur. 113
Quomodo Signa refellantur. 114
Quomodo Exempla refellantur. 114
Quomodo Propria rei nota refellatur 114
Quomodo Sententiæ refellantur 114
An Amplificatio sit locus Enthymematum. 115

INDEX
CAPITA DIALOGI TERTII.

DE ELOCVTIONE. 516
An Ornamenta orationis necessaria sint. 116
De Pronuntiatione, quid afferat, & ex quibus constet. 116
De Ornatu. 117
De Verbis simplicibus, & quæ sint eorum genera. 117
Qualis sit Rhetorica oratio. 118
Quomodo utendum Translatis, Adiunctis ad nomen, & Iunctis. 118
De Verbis coniunctis. 119
Quæ sint orationis uirtutes. 119
De Oratione Dilucida, & quæ Obscuram faciant. 119.
De Oratione Iucunda. 120
De Oratione Probabili. 120
De Orationis Amplitudine. 120
De Orationis Decoro. 120
De Festiuitate orationis. 121
De Forma orationis. 122
De Numero. 123
De Ambitu & Membris. 123
Quæ per se Numerosa sint. 123
De propriis cuiq; Generi causarum. 124
In quibus differant Oratores à scriptoribus. 124
Qui ornatus cuiq; Generi conueniat. 125

DE PARTIBVS ORATIONIS. 125
Quot partes orationis, quæq; necessariæ sint. 129
De Exordio, quid sit, & unde ducatur. 125
De Exordio Demonstratiui generis. 126
De Exordio Iudicialis generis. 126
De Exordio Deliberatiui generis. 127
Qui Calumniæ loci. 127
De Narratione Demonstratiui generis. 128
De Narratione Iudicialis generis, tam accusatoris, quàm Defensoris. 129
De Narratione in Deliberatiuo genere. 130
De Propositione, & Fide, seu Confirmatione. 130.
De Constitutionibus, seu statibus causarum. 131
De Constitutionibus Iudicialis generis. 131
De Constitutionibus Demonstratiui generis. 131
De Constitutionibus Deliberatiui generis. 131
Quæ Argumentationes cuiq; generi propriæ. 132.
Quomodo Enthymematibus utendum. 132
Collatio trium generum, quodnam difficilius sit. 132.
Quomodo in Confirmatione præter argumenta Mores adhibeantur. 133
Quæ Enthymemata magis probentur. 133
De Confutatione 133
Quando prius confirmandum, quàm confutandum, & contra. 133

Quomodo de nobis ipsis modestè dicendum. 134
Quomodo Argumentatio uarietate distinguenda.
De Interrogatione. 134
De Ridiculo. 136
De Peroratione. 136
De Enumeratione, ac pluribus enumerandi modis. 136.

Errata.

pag. 42. l. ultima. hostes pag. 78. l. prima qui in nobis pag. 90. l. 8. cum quibus. pag. 96. l. 2. amentis. pag. 101. l. 20. a Rege capiatur. pag. 113. l. 26. rei nota pag. 119. l. 8. communis. pag. 130. l. 3. acnon solum quæ.

CLEMENS VALVASSORIVS IVRECONS. DOCTRINAE DICENDI STVDIOSIS.

QVAM multa Aristoteles tribus Rhetoricorum libris comprehenderit, Index quidem uel prolixè pollicetur. Quàm uerò breuiter, ac dilucidè eadem illa Iacobus Brocardus uir singulari doctrina, atq; modestia præditus, hisce Partitionibus Oratorijs explicuerit, hoc ego omni uobis ratione confirmare possum. Sed nihil est, quod uos morer, cùm lectio ipsa præstò sit, quæ omnia per se mirandum in modum præstare uidetur.

IACOBI BROCARDI PARTITIONES RHETORICORVM ARISTOT.

Ad Petrum Andream Codegorum Ferrariensem.

VM Nouentam ob pestilentiam concessissem, ibiq; nonnihil otij, quod non item aliàs concessum fuit, daretur, nolui illud perire: sed, cùm exigui uiderentur fore temporis, nec librorũ copia adesset, ut quos uellem ego fructus ex studijs literarum percipere possem, à meq; Rhetoricorum Aristotelis breuem, facilemq; doctrinam Ioannes Iacobus Pisanus eximia spe, ac excellenti ingenio puer, expetiuisset, partitionem more Tulliano illorum præceptorum feci, in hisq; ediscendis mentem ducem præbui. Quæ quidem præcepta, quoniam propter breuitatem commoda, atque tum ipsa satis per se perspicua, tum propter ordinem dilucida, ad memoriamq; insignia uisa sunt, edenda existimaui. quanquam antea Paraphrasis quoque nostra in eiusdem authoris artem Rhetoricam in manus hominũ deuenerit. nam ut omittam id fieri exemplo summorum uirorum, qui eadem nariè tractauerunt, sua in primis utriusq; laboris (ut arbitror) patebit utilitas.

Vide-

Videretur autem huic libello fieri iniuria, ni, cùm tua opera paraphraſis in lucem prodierit, ipſe ſaltem in tuo nomine appareret, & mei ſummi erga te amoris, tuorumq; in me meritorum accederet teſtis, et uiro optimo ſingulariq; uirtute prædito inſcriberetur. de qua quidem plura, ad te præſertim, impedit pudor, & breuitas huiuſce inſtitutæ inſcriptionis non ſinit: et qui te non norunt, nimis multa, qui uerò norunt, nimis pauca me dixiſſe arbitrarentur. Quemadmodum igitur ego Nouentæ nunc inter duo flumina deambulando, nunc ad pontem ſedendo, nunc ſub procera patulisq; diffuſa ramis populo ſtando (quibus ex locis mulieres iuniores agri Patauini ſæpe ſaltando ferunt palmas) ſolebam Ioannem Iacobum interrogare: ita iam ipſum uiciſſim me interrogantem, cùm libitum fuerit, licebit attendere.

DIALOGVS PRIMVS
PRIMO ARISTOTELIS LIBRO RESPONDENS.

IACOBVS PISANVS. *In Rhetorica quænam ſpectare debemus?* IACOBVS BROCARDVS. *Vim oratoris, et præcepta rhetorum.* I. P. *Quænam eſt ipſa uis?* I. B. *Poſſe de quacunq; re propoſita fidem facere.* I. P. *Quomodo fit fides?* I. B. *Argumentando, & diſſerendo.* I. P. *Dialectici eſt de quacunque re propoſita diſſerere, ſi idem iam eſt et Oratoris, ergo idem erit Rhetorica, & Dialectica: nec duæ, ſed una tantummodo illarum uidebitur eſſe ars.* I. B. *Minimè id quidem. tametſi enim habent commune genus de qualibet re diſſerendi, parte tamen differunt, ac ſpecie.* I. P. *Expone igitur uim Oratoris, & quid ſimile habeat Rhetorica cum Dialectica, quidque differat.* I. B. *Diſcrimen illud primum eſt, ipſarum argumentationum: quamuis enim ex eodem omnes emanent fonte doctrinæ, Dialectica tamen accuratè concludere, magisq; eruditorum intelligentiam requirere uidetur:*

Vis oratoris quæ ſit

Rhetoricã & Dialectică trib. rebus differre.

Rh:=

toriea uerò ad populárem intelligentiam, communemq; ſermonem inuenitur accommodatior. nam ſatis nouimus omnes, Enthymema, & omnino argumentationem Rhetoricam, quantum fieri ab Oratore poteſt conſuetudinem quotidiani ſermonis imitari: ſyllogiſmum uerò modos concluſionum eruditis, tantummodo notos ſectari. Deinde res ipſæ, quæ argumentatione a Dialectico concluduntur, ipſis quidem Doctrinis rerum continentur, longæq; à communi ſenſu ſumuntur, quæ uerò ab Oratore, minus doctrinam redolent, maximeq; communem hominum opinionem attingunt. ut oſtendemus, cùm de ui argumentationis agemus. Tum uerò ubi de probabili agitur, Orator nomen ſuum retinebit, tum ſcientia adhibita ratiocinando, tum quæ uoluntas, ac libido ſuaſerit aſſeuerando: at Dialecticus, ni ipſa facultate tantummodo de quibus ſcientiam habuerit ratiocinabitur, atque ſtudio uincendi ductus, quæ non fuerint, eſſe tamen ipſe probabilia ſuadere conabitur, ſuum illud nunquam ſatis laudatum amittet, ac Sophiſtæ omnibus inuiſum nomen inueniet. nam cùm cauſam aliquam etiam malam in foro perſuaſerit Orator, non arguetur deinde partes Oratoris non præſtitiſſe, dum cùm ageret, eò quò uoluerit, uoluntates

Alterum diſcrimen.

Tertium diſcrimen

impu-

impulerit. at, quæ dialectice in ipsis scientijs disputantur, in medio posita relinquuntur, ut à quouis, & quocunque tempore arguantur. Simile uerò rhetorica cum dialectica id primùm habet, quòd ipsa quoque uersatur in disputandi ratione. deinde eandem esse intelligimus ipsius cum dialectica rationem disputandi. tum pariter de quacunque re proposita disserendo fidem facit. Etenim fides, quam parit oratoris dictio, argumentatione fit. nam id potißimum ab oratore exigitur, ut in iudicijs aliquid probet, aut factum esse, aut non factum; in senatu futurum, aut non futurum; esse, aut non esse, ubi laudabit, aut uituperabit. atque tria quidem in ipsis iudicijs spectantur, lex, iudex, is, qui causam dicit. ac, si omne iudicium ex ipsis pendet legibus, quæ quod uenit in iudicium, quale, & quantum censendum sit, præscribunt; iudex uerò ipsarum legum minister sit, & quicquid iuris in quauis causa sit, ex ipsis proferat legibus; relinquitur tantummodo oratori probare aliquid factum esse, aut non factum; futurum, aut non futurum; esse, aut non esse. ac optima quidem ratione id comparatũ est, ut iudex minister sit legum, non author iuris; & omnis quæstionis, quæ in iudicium uenit, quæ natura, quæ ratio sit, ipsis definiatur legibus: quandoquidem facilius unum uel paucos, quàm multos prudẽtes inuenias,

Rhetoricã & Dialecticã tribus rebus esse inter se similes.

Prima similitudo.

& prudentius definiuntur, quæ longo tempore consíderantur: & scriptores legum de uniuersis, & futuris controuersijs loquuntur, in quibus diiu dicandis non contingit ob uarios animi motus aut gratia, aut odio moueri, aut ob suum aliquod commodum, & emolumentum ab æquabili iure recedere. Nec iam est alia oratoris, & dialectici probãdi ratio. fides enim, quæ fit ab oratore, est probatio quædam. hæc uerò probatio est rhetorica ratiocinatio, quæ & ipsa eadem est cum syllogismo dialectico. doctrina autem syllogismorum, aut tota dialectica, aut parte illa spectatur, quæ quibus rebus, & quàm multiplici connectendi ratione cõcludendum sit, docet. ac si spectemus rationem ipsius argumentationis concludendæ, cuiusnam alterius unquam artis, quàm unius dialecticæ eam esse putabimus? (quam quidem quia à dialectica assumit orator, rhetorica dicta est pars dialectices; quamuis, ut diximus, quantum potest orator illam ad consuetudinem reuocet communis sermonis) sin illa, quæ in argumentationem inferũtur, quæ item ars est, & facultas dialectici uera, & necessaria intuendi, eadem erit & oratoris probabilia coniectura prospiciendi. Si iam hæc ita se habent, illud per se sequi uidetur, Rhetoricam pariter de quacunque re proposita fidem posse facere. qua enim arte res omnes probari, & persuaderi possunt, res itidem illæ omnes sub eandem ar-

Altera similitudo.

Tertia similitudo.

tem

tem uenire dicendæ ſunt. Vt uerò hanc communẽ uim, quam habet rhetorica cũ dialectica uno uerbo ante oculos poneret Ariſtoteles, dixit rhetoricam ἀντίστροφον eſſe dialecticæ. ἀντίστροφα aiunt quidam dici. ἰσόστροφα, ἃ περὶ τὰ αὐτὰ στρέφονται. Eædem enim ſunt res, quæ à dialectico probantur, & ab oratore perſuadentur. nam res æquè omnes utrique ſunt propoſitæ. mutata uerò, & conuerſa dictione, ut alter uera, et falſa ſubtili cõcludendi ratione acutiſſimè expediat, alter argumentationẽ dilatans ad motus animorum, & ad uulgi ſenſus inueniatur accommodatior, nunc dialectica, nunc oratoria, altera alteri reſpondens uis diſſerendi extat. I. P. Cùm eã uim oratoris facultas habeat, ut per ipſam de quacunque re poßit fides fieri, annum ſemper perſuadebit orator? I. B. Quamuis quidem ipſius ſit eiuſmodi uis, non tamen ſemper perſuadet. nam interdum res ipſa, de qua agitur, non ſatis firma ſuppeditat argumenta: aut uitio auditoris, non is, qui deberetur, tribuitur aſſenſus. Quare munus, ac officium oratoris ea re definiatur, ut dicere poßit de quacũque re ad perſuadendum accommodatè, uti medici officium, nõ eſt ſanitatem præſtare: ſed quoad fieri poßit, ea afferre, quæ ad ſanitatem reſtituendam faciunt. I. P. Cùm deinde dixeris oratorem nomen ſuum retinere tum etiam, cùm ea, quæ uerè probabilia non ſunt, perſuadebit; atque uideamus detrimenta

ἀντίστροφα quæ dicantur.

Officium oratoris.

Rhetoricæ utilitas.

non modica ab oratoribus interdum rebus publicis importari, num præstaret eloquentiam è foro explodi? I. B. Minimè quidem. etsi nonnulli ea malè utantur, non tamen ob eam causam statim est è ciuitatibus exterminanda. id enim non fit suo uitio; sed hominum perperam ea utentium. nam & uinum, uires, ualetudo, diuitiæ, & quæ sunt talia, nunquam mala dicuntur, nec reijciuntur, propterea quòd interdum aliqui ipsis malè utantur. immo uerò multas, illasq; maximas affert rectè ea utentibus utilitates eloquentia. Per ipsam enim causam nostram, aut alterius tutari, ueritatemq; iudici declarare poterimus, quod ni fiat, & reprehensione digni inueniemur, & uaria erunt subeunda incommoda. etenim uera se probare oratoria facultas pollicetur. Si iam fidem de scientia aliqua, cuius quidem peritissimus, facere uoluerimus, unde erit nobis facultas id agendi, nisi ex communibus dialecticorum, & oratorum artibus? ánnum deinde præclarum est habere facultatem in contrarias partes disserendi (quod quidem dialectica, & rhetorica solæ faciunt) ut & teneamus, quomodo id fiat, & si quisquam contra nos perperam hac uteretur facultate, eius possimus orationem refutare? adde uerò, cùm turpe sit corpore non posse sibi auxilio esse: oratione non erit item tur-

turpe, quæ est magis propria hominis, quàm usus corporis? Tenenda igitur est hæc uis, & ratio in unaquaque re intuendi, & inueniendi, quid insit probabile, & ad usus transferenda. est enim res præclara, & maximè opportuna eam facultatem habere comparatam, qua quidem de quauis re proposita ad persuadendum accommodatè possis dicere. I. P. Teneo, quæ dixisti de ui oratoris; sed antequàm distribuas præcepta rhetorum, illa duo prius uidentur quærenda. Primùm, si ea est uis oratoria, qua de quauis re proposita dicatur, quare ars in rebus tantummodo forensibus exposita est? deinde cum rerum forensium ea ratio, & natura sit, ut propè omnia sint incerta, uariosq; habeant euentus, quomodo in ipsis constituetur ars, quæ quidem est rerum certarum, & nunquam fallentium? I. B. In rebus forensibus ars dicendi exposita est; quia ex ipsis uidetur eloquentia sua duxisse principia, & progressiones; nec ulla res est alia, in qua summa dicendi uis magis uigeat, seipsamq;, quanta sit, declaret: & cuius in foro commendabitur eloquentia, is, quæ nouerit cæterarum rerum quæcunque illæ fuerint, eloquenter tractare similiter poterit. Est uerò ars rhetorica: quia, tametsi res forenses ex iis sint, quæ ferè fieri solent, uariosq; uideantur

Vis oratoris.

Cur præcepta Rhetorica rebus tantum forensibus accommodentur.

An Rhetorica sit ars.

habere euentus, tamen cũ plerique temere, ac nulla ratione cauſas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter conſuetudinem aliquam callidius id faciant, non eſt dubium, quin ſiquis animaduerterit, quid ſit, quare alij melius, q̃ alij dicant, id poßit notari. ergo id in toto genere animaduertere, ac notare; uiã oſtendere argumentationum, aut ſententiarum; ornamenta, atque ordinem orationis explicare, cuiuſnam alterius, quàm artis munus eſſe diceremus? I. P. Quot igitur in partes cenſes omnem præceptorum rhetorum doctrinam eſſe diſtribuẽdam? I. B. In tres.

Diuiſio totius artis.

I. P. Cedò quas? I. B. Primùm in illa, per quæ fidem facimus: deinde in ornamenta orationis: tum in eius partes. aut ſi mauis, dicamus, duo in cauſis ſpectari; quid, & quomodo dicatur. ut illud contineat ea, quæ fidem faciunt, hoc ornamenta & ordinem partium orationis. I. P. Quibus rebus fit fides? I. B. Iis quæ arte continentur, & ijs, quæ artis ſunt expertia. I. P. Quænã uocas artis expertia? I. B. Quæ non excogitantur ab oratore; ſed ratione tantummodo tractãtur. ut teſtes, quæſtiones, & quæ ſunt talia. I. P. arte quæ continentur? I. B. Quæcunque uia, ac ratione ab oratore pariuntur. in ſuperiori genere de tractandis argumentis, in hoc de ijſdem etiam inueniendis cogitandum eſt. I. P. Quid ornatus, in quo eum ponis? I. B. In uerbis ipſis, quibus accedit uox, uultus,

Fides quibus rebus fiat.

tus,& omnis actio eloquẽdi. I. P. Quid uerò partes orationis, quotnam facis? I. B. Quatuor,exordium,narrationem,confirmationem,& peroratione. I. P. Quoniam res priores sunt,quàm illarum ornatus,& ordo, existimo prius dicendum esse de ijs, quibus fit fides:sed quia horum duo genera esse dixisti,quod prius partiendum esse censes? I. B. Quæ artis sunt expertia, quia ferè omnia ad causas iudiciorum pertinent,tum percurram, atque eorum usum ostendam, cùm de genere iudiciali dixero. I. P. Eorum,quæ arte continentur, quas facis partes? I. B. Tres;argumentationem,qua rationibus adducitur auditor,ut causam nobis adiudicet;animorum conciliationem,qua inclinatione uoluntatis propendeat in nos; & permotionem, qua nobis aspirare cogatur. uel etiam uno nomine argumentationis potes hæc tria complecti: deinde illam diuidere, & constituere duo genera argumentandi,quorum alterum spectet directò ad fidem,alterum se inflectat ad animos conciliandos,& mouendos. I. P. In argumentatione, quæ spectat ad fidem,quæ tu cõsideras? I. B. Modos argumentationis;uim,quam induit argumentatio eius,qui causas forenses pertractat;locos,ex quibus argumentatio sumitur. I. P. Quos uocas modos? I. B. Illa,per quæ argumentando probamus,aut probare uidemur, Ratiocinationem uidelicet,& Inductionẽ. I. P. Quomodo ista definis?

Argumentationis modi duo

Ratiocinatio quid sit.

I. B. Ratiocinatio est oratio, in qua quædam statuuntur, propter quæ quiddam aliud adhuc præter ea, quæ posita sunt, aut necessariè cõcluditur, aut probabiliter ostenditur. Inductio autem oratio, in qua aliquid in rebus similibus eodẽ modo se habere ostenditur. his duobus generibus argumentandi usus disputationis rhetoricæ continetur, ut apud dialecticos diligens disserendi ratio syllogismo, & inductione. Sunt autẽ quidam oratores, qui inductionibus, et exẽplis maximè delectantur, quidam, qui ratiocinationibus. suadẽt quidẽ utrique; sed ratiocinatione magis permouemur; Quia uerò hæc cognouisti, ad rhetoricæ argumẽtationis uim explicandã, et locos exponendos accedamus. I. P. Cur neq; dilatas latiùs, quæ breuiter à te definita sunt, neque eorũ usum ostendis? I. B. Cùm uim argumentationis rhetoricæ expressero, eiusq; materiã uniuersam, et locos percurrero, tum cõmodiùs id præstabitur. I. P. Quid habes igitur de ui illa dicere? I. B. Duplex omnino est uis argumẽtationis. in ipsa. n. quædã dum efferũtur, statim sua ui, ac natura aliquid euidens ostendunt, certumq; declarant: quædã per ea, quæ probabilia fuerint, probabile quid, seu ueri simile indicãt. etsi utroque ratiocinandi, genere utitur et dialecticus, et orator uidendũ tamen est, quodnã horũ potissimum, & quale ueniat in dictionẽ forensem. Ac iam id cõstare debet, oratorẽ ueri similia maxime in fide faciendã

Inductio.

Vis argumentationis.

cienda sequi. atq; hæc sanè eius generis censenda sunt, ut nequaquã ei, qui in foro dicit, omnia, quæ quibusuis ueristimilia uideri possunt, sint proposita; sed illa maximè, quæ consueuerũt consultari: ut etiam dialecticus, nõ ex quibusuis rebus, quæ quibusq; probabilia uidẽtur, ratiocinatur; cùm et deliris nõnulla uideantur probabilia; uerùm ex ijs, quæ idonea sint, de quibus quæratur, et digna, quæ rationibus confirmentur. est siquidẽ officium eius, qui causas forenses agit, de huiusmodi rebus persuadere, de quibus consultamus. sunt uerò cõsultationes, et deliberationes forenses earũ rerum, quæ ferè fieri solent, quæq; in utranq; partem possunt cadere. quiuis enim ea de re consultationẽ reijceret, quam censeret aliter fieri nõ potuisse, q̃ facta fuerit, aut futurã, aut se habere non uariè; sed semper uno modo. ueristimile igitur, quod in his, quæ in foro consultantur, inerit, demõstrare in primis debebit rhetorica argumẽtatio. ac pariter quidẽ, dum illa, quæ pertractat in causis forẽsibus orator, distinguimus à cæteris dictionibus, quæ doctrinis cõtinentur, discrimẽ quoq; inter argumentationẽ dialecticã, et rhetoricã licet animaduertere. cõtingit quidẽ in alijs disputationibus, et ratiocinatione, et inductione illa ad persuadendum afferri, tum quæ principia sint aliquarũ scientiarũ, aut artiũ, quæq; habeantur cõcessa, et cõclusa: tũ quæ apud eruditos in disceptationẽ ueniant, q̃ cõclusa non

Quæ ueristimilia dicantur.

non habeantur,& argumentatione egeant,ut comprobentur, cùm sint in opinione dubia. primùm quidem, si res ipsas intueamur, inueniemus illa, quæ fuerint principia certa, & stabilia scientiarum,non persuaderi in foro.constant enim ex rebus uulgò quidem non concessis, ac certis, & sunt à communi opinione remota. quæ uerò exquisitis rationibus comprobantur,altiùs, & longiùs repetuntur,quàm ualeant à communi hominum, popularíq; intelligentia comprehendi. deinde auditor existimatur non multa nosse, per quæ accuratiùs res,quæ scientia continentur, contempletur; nec posse longiùs ratiocinari ex rebus altiùs ductis,ac longiùs sumptis. Sin modos quoque ratiocinationum dialecticarum,& rhetoricarum,illaq; pariter,quæ in ipsis concluduntur,intuebimur; reperiemus in syllogismis ita connecti propositionem, & assumptionem cum conclusione, ut hæc tria nõ possint intelligi separata; & eos seruari concludendi modos, quos eruditi tantummodo dijudicent. Enthymema uerò, quod quidem est syllogismus rhetoricus, duabus propositionibus continetur,cuius quidem modus communem consuetudinem loquendi imitatur:& illa,quæ in ipso persuadentur,ad communem inueniuntur, popularemq; intelligentiam accommodata. Cùm iam illa, quæ persuadentur in foro separauerimus à reliquis disputationibus, & rebus uerisimilibus contineantur,

Syllogismus.

Enthymema quid sit.

tur, ueriſimilia maximè cẽſenda ſunt oratori pro poſita eſſe debere (quamuis & neceſſarijs interdum utatur) ac eius argumentationem illam uim habere, ut probabilis, & ueriſimilis appareat. Atque ratiocinationis cum duæ conſtituãtur partes, illa quæ ſumuntur, et id, quod ex ijs, quæ ſumpſeris, conficitur; ac nunc de ui illa locuti ſimus, quæ in ipſa concluſione uiget; poſſet quis iam quærere, quam uim habere debeant & illa, quæ ſumuntur, ut ex ipſis aliquid concludatur, aut cùm quid ueriſimile, cùm quid neceſſarium eſſe, concludi uolumus, ex quibuſnam id effici oporteat. demonſtratur uerò in dialecticis, neceſſaria ex neceſſarijs, ueriſimilia ex ueriſimilibus cõprobari. quod quidem cùm & magiſtri dicendi optimè nouiſſent, illa quæ ſumuntur ad aliqua ratione comprobanda, in ueriſimilibus, & ſignis poſita eſſe uoluerũt.

De his, quæ aſſumuntur in ratiocinatione.

Veriſimile id eſſe dicunt, quod plerunque fieri cõtingit, & ut uniuerſum quoddam ad aliquid, quod ſit in parte demonſtrandum, ſumi. ut ſi diceretur Socrates febrem habere, quòd crebrò reſpiraret.

Veriſimile.

Signorum autem duo conſtituunt genera. unum quidem eorum, quæ aliquando contingunt, & poſſunt infirmari, tametſi uera ſint; in quo quod eſt in parte ſumitur ad uniuerſum confirmandum. ut ſi ſapientes iuſtos eſſe affirmaremus, propterea quòd Socrates fuerit & ſapiens, & iuſtus. alterũ ucrò propriam rei notam appellant. id ſcilicet, quod

Signum.

Propria rei nota.

nunquam aliter fit, certumq; declarat, nec potest reprehendi: & per simpliciter uniuersum, quod est in parte confirmat. ut peperit quidem mulier, lac enim habet. Sunt igitur hæc signa, & ueristimilia, per quæ aliquid necessarium aut ueristimile ipsa ratiocinatione demonstramus. Exemplo uerò, quod est inductio rhetorica, sumitur neque pars ad totum, neque totum ad partem, neque totum ad totum comprobandum; sed pars, aut simile inducitur, ut parti, & simili assentiatur.

Exemplũ. est enim exemplum, in quo aliqua, quæ eiusdem generis sunt, comparantur, & alterum altero est notius. ut Pisistratus custodiam petens, tyrannidem affectabat, idem Theagenes apud Megarenses agebat, idem omnes, qui custodias petierunt: ergo Dionysius custodiam petens, tyrannidem affectare existimandus est. omnia quæ hîc colliguntur similia in uniuersitatem illorum ueniunt, qui tyrannidem occupare uoluisse credantur. ac de ui argumentationis rhetoricæ hæc dicta sint. de argumentatione uerò simpliciter disserere ipsius est dialecticæ, non huius instituti.

I. P. Quoniam eius modos, & uim docuisti, nunc

De locis quid sint. sequi uidetur, ut eiusdem locos exponas. I. B. Locos argumentationis, qui & enthymemata, & sententiæ appellantur, uoco syluam, & materiam uniuersam, ex qua sumuntur argumenta, & propositiones, ex quibus deinde conflatur argumen

gumentatio. horum locorum duo sunt genera, quorum alterum rerum genera, & sententias singularum artium, & scientiarum complectitur. ut quæ sunt sententiæ de uita, & moribus, de rebus ciuilibus, de naturalibus, & alijs separatim, quæ extant, & extare possunt, disciplinis. alterum est dialecticorum, & oratorum proprium. ex quo quidem non separatim de aliquo genere; sed æquè de omnibus communiter rebus disputamus, tam de ciuilibus, quàm naturalibus, & quibusuis alijs. ut est locus à contrario, à maiori, à minori. Ex superiori genere plurima in suam dictionem deriuat orator, quæ quidem principia dicenda sunt illarum artium, unde sunt sumpta: ut ex sententijs, & propositionibus, quæ à Philosophis traduntur de moribus, de rebusp. de motibus animorum quàm maximè ratiocinari, & argumentari solet. iam igitur hæc, quæ aliunde sumit, ut ordine pertractentur, uidentur propè ipsis generibus causarum rhetoricarum subijcienda esse. I. P. Cur non expedis priùs locos, qui dicti sunt communes, cùm sint pauciores, & proprij rhetoricæ, & dialecticæ? I. B. Quia debet orator priùs inuenire illa, quæ in causa, de qua agitur, insunt; deinde uidere quid demonstrare ex locis communibus ualeat: quæ uerò inerunt in causa, ex his, quæ in generibus causarum pertractantur, inueniet. I. P. Quot sunt igitur

Locorum duo genera.

Qui loci singularũ tantum artium sint.

Qui loci rerum omnium sint.

Cur prius loci pprii explicetur quam cõmunes.

Genera tria causarum.

igitur genera causarũ? I. B. Tria, quæ genere auditorum distinguuntur. est enim auditor, aut spectator, qui delectationis causa dicentem de facultate audit: aut disceptator, qui uel de præteritis statuit, ut iudex, uel de futuris, ut Senator. Erit itaque genus Deliberatiuũ, quod uersatur in suasione, & dissuasione, cuius finis est utile, et inutile; & habet proprium tempus futurum. Iudiciale, quod uersatur in accusatione, & defensione, cuius finis est iustum, & iniustum, & proprium tempus habet præteritum. Demonstratiuũ, quod uersatur in laude, & uituperatione, cuius finis est honestas, & turpitudo: & est ei proprium tempus præsens. agemus igitur de his omnibus, ut orator suadendo, & dissuadendo; accusando, et defendendo: laudando, et uituperando possit sumere propositiones, ex quibus ratiocinetur, tum simpliciter ex rebus utilibus, iustis, & honestis: tum comparatè ex magno, seu maiori utili, iusto, et honesto; deinde ex ijs, quæ fieri possunt, quæ facta, quæq; futura existimanda sunt: quandoquidem quæ fieri non possunt, quæ non fuisse, quæ non fore contingit, ea nec esse, nec facta, nec futura existimanda sunt. I. P. Est ne rhetoris de rebus bonis, et honestis præcipere, quod sibi Philosophi proprium semper uindicarunt, et in præcipiendo in tanta difficultate, et uarietate uersati sunt? I. B. Quamuis magnæ, et difficiles inter Philosophos

Quæ partes, finis, & tempus cuiusque generis.

soleant

ſoleãt eſſe de hiſce rebus diſputationes, et tota ea præceptio ſit ipſorũ propria, de nõnullis tamẽ bonis, et malis memorat rhetor, nõ ut aut ueritas per ipſum patefiat, aut ſui ſit muneris præcipere, cùm Rhetorica (ut dialectica) facultas ſit dicẽdi, nõ certarũ rerũ ſcientia; ſed, ut loci indicẽtur, ex quibus in forenſibus diſceptationibus probabiliter in utranque partem de rebus bonis, & malis diſſeratur. Sunt uerò illa bona, quæ ipſæ contemplatur, quæcunque ferè fieri ſolent, poſſuntq; fieri, & nõ fieri: in quibus quidem maximè conſultationi ſolet eſſe locus. hæc uerò ſunt, quoruncunque ea natura eſt, ut ad nos ipſos referantur, & principium eorum gerendorum in nobis ſitum ſit. eò enim uſque conſultamus, dum inuenerimus, utrum quid ex iis, quæ ferè fieri ſolent, à nobis geri poſſit, an non poſſit. Itaque primum de iis dicamus, de quibus potiſſimùm conſultant, & deliberant ſenatores: deinde quæ generatim quidem omnes expetentes, & fugientes ſuadent, aut diſuadent.

De genere Deliberatiuo.

Quæ conſultant ſenatores.

I. P. Quæ ſunt illa, de quibus quàm maximè conſultant ſenatores. I. B. Vectigalia, bellum, & pax, cuſtodiæ regionis, quæ inuehuntur, & exportantur, atque legum latio. Qui dat conſilium de uectigalibus noſſe debet tum fructus ciuitatis, qui, & quanti ſint: ut & addatur, ſiquis prætermiſſus, & augeatur ſiquis exiguus fuerit: tum ſumptus omnes, quò ſiquis ſuperuacaneus ſit, auferatur,

Vectigal.

tur,& ſiquis redundans, minuatur. ac de his quo que oportet non ſolum experientiam in rebus no ſtris habere;ſed & hiſtoriam tenere eorum, quæ ab aliis fuerint inuenta. De bello autem & pace ſciat opes ciuitatis,quæ,& quot, & exiſtunt, & exiſtere poſſunt; bella tum noſtræ ciuitatis, tum finitimorum,quæ,& quot geſta fuerint,uel etiam aduerſus quos: ut cum melioribus pax habeatur, cum deterioribus utrum bellum geramus, in nobis ſitum ſit: item copijs ſuperiores, an inferiores ſimus hoſtibus. atque hîc quoque non ſolùm quæ noſtris; ſed etiam quæ externis nationibus euenerint, conſiderare oportet. Præterea de cuſtodijs regionis non ignoret, quomodo tutæ ſeruentur: nouerit earum numerum, loca,& genera: ut ſuperuacaneæ tollantur, quæ deſunt, addantur, minus firma roborentur, locis magis neceſſarijs maiora addantur præſidia. Adhuc & de cibarijs, quanta, qualiaq; ſint illa, quæ inſumuntur, quæq; ſatis ſint, ut ciuitas alatur: & quæ in ipſa inueniantur, & quæ aliunde inuehantur; & quarum rerum egeat exportatione, & quarum inuectione, ut cùm his fœdera feriantur, per quos aut noſtra exportantur, aut quæ illorum ſunt, inuehuntur: ac tum cum his, tum cum melioribus inuiolata amicitia ſeruetur. Vt uerò orator debet hæc omnia cognoſcere,& diligenter poſſe expendere, ita & eundem legum ſancienda-

Bellum, & Pax.

Cuſtodia regionis.

Cibaria.

Legum latio.

rum

rum peritum eße oportet. quod quidem ut ſibi contingat, erit ei neceſſe ſcire, quot ſint genera rerump. & quæ, qualiaq; ſint: illa, quæ unicuique conducant, & quibus rebus ſingulæ labefactari ſoleant. Solent enim labefactari tum iis rebus, quæ publico ſtatui ſunt aduerſæ, & contrariæ: tum iis, quæ eidem erunt propria: ut ubi populus dominus eſt; ſi, quæ popularia ſunt, populo nimiùm tribuuntur, popularis dirimitur politia. Vtile deinde erit præterita tempora intueri, & uidere leges aliarum rerump. atque hinc ratiocinari, quidnam publico noſtro ſtatui conducat: quare & terrarum peragratio utilis eße ſolet. Hæc uerò omnia perfectè tractare munus eſt Politicæ, non Rhetoricæ. I. P. Quæ deinde ſunt illa, quæ omnes expetentes, & fugientes ſuadent, & diſſuadent? I. B. Hæc ſunt, tum res ipſæ, tum illa, quæ in ſingulis rebus, & actionibus cenſentur utilia. I. P. Quid habes de rebus dicere? I. B. Harum finis quidam conſtituitur, quem omnes uidentur appetere. is uita beata, beatitas, & beatitudo dicitur. quam aiunt uitæ eſſe proſperitatem uirtute comitatam: uel uitæ curſum iucundißimum, ſimulq; tutum, & munitum: uel uitam eius, qui ex ſeſe aptus ſit; & in ſe uno ſua habet omnia: uel uitam florentem omnibus omnium rerum copiis, ſtipa-

Beata uita quæ ſit.

tamq; hominum corporibus deseruientibus. Si iam beata uita talibus quibusdam rebus continetur, necesse est eam bonis externis, & corporis, & animi contineri. Externa sunt, nobilitas, quæ contingit genti, & ciuitati, & separatim alicui, qui authores suos primùm, postq; deinceps multos illustres, req; aliqua suspicienda claros habuerit. Bona, & multa proles, quæ contingit & ciuitati, & separatim in ea singulis, cùm prædita fuerit animi, & corporis bonis. bona quidem animi in maribus sunt temperantia, & fortitudo; in fœminis temperantia item, & operandi studium sine illiberalitate: corporis uerò in maribus, magnitudo, forma, robur, uis concertandi; in fœminis pulchritudo, & magnitudo. Diuitiæ, quæ nummis, agris, uillis, suppellectile, pecoribus, mancipijs continentur. atque horum possessio quidem firma sit, & libera: fructus uerò usu, & oblectatione in primis percipiuntur. nam in utendo magis, quàm in possidendo ipse dives cernitur. Gloria, qua ob uirtutem quis ab omnibus suspicitur, uel aliquid habet, quod multi, aut boni, aut sapientes appetunt. Honos, quo ob merita, insignia uirtutis tribuuntur. honorantur quidem, non solùm benemerentes; sed etiam qui uidentur posse beneficia præstare. merita uerò sunt salutem tribuere, retinere aliquem in suo statu, aut etiam illum amplificare,

Tria bonorum genera.

De Externis bonis.

Nobilitas

Proles.

Diuitiæ.

Gloria.

Honos.

re, augere diuitias, aut ſimile aliquid impertiri, quod difficilè obtinetur, ſiue magnum id ſit, ſiue paruum. Partes honoris ſunt, ſupplicationes, ſacra, memoriæ, præmia meritorum, & uirtutis, loca honoratiora, ſepulchra, imagines, uictus publicus; barbara illa, ſupplices, & demiſſæ corporis flexiones, & retractiones; dona, quæ apud ſingulos magni fiunt; quæ auari, quòd utilia, quæ ambitioſi, quòd ſigna honoris ſint, appetunt. Corporis autem uirtus eſt, & ea Sanitas, qua quidem in uſu corporis nulla ægritudo incidit; & ea Pulchritudo in iuuene quidem, ut ad illa, quæ uiribus geruntur, commodum adſit corpus, quod & ipſa ſpecie oculos moueat, & delectet; in uirili ætate, ut corporis robore bellici ſuſtineantur labores, atque tum iucunditas, tum terror adſit; in ſene uerò, ut corpus cùm idoneum ſit ad ſuſtinendos labores neceſſarios, tum cum indolentia inueniatur: & id Robur, quo moueas alterum, ut uelis, uel trahendo, uel pellendo, uel tollendo, uel deprimendo, uel comprimendo: & ea Magnitudo, qua præſtes alijs longitudine, aut altitudine, aut latitudine uſque eò, ne motus propter magnitudinis exuperantiam impediantur. Atque hîc ſpectatur uirtus concertatoria, in qua, qui crura quodammodo proijcit, ac celeriter mouet, longiuſq; curſor eſt:

De corporis bonis.
Sanitas.
Pulchritudo.
Robur.
Magnitudo.
Concertatoria uirtus.

qui alterum premit, & continet, luctator; qui propellit plagas infligendo, pugil: qui luctatione, & pugillatione ualet, pancratiastes: si addatur cursus, pentathlus. Commoda præterea senectus expetitur, quæ est ipsius tarditas cum indolentia; & cùm adsunt uirtutes corporis, & fortuna, ut prosper uitæ cursus teneatur. Amicis quoque & multis, & bonis uita stabilitur humana. Atque, ut summatim dicam, illa omnia, uel multa, uel maxima bona adsint, quorum Fortuna causa est, ut felicitate perfruamur. nam fortuna causa est nonnullorum, quorum artes existunt, ut sanitatis; & multorum, quorum natura causa est, ut pulchritudinis, & magnitudinis; & aliquorum, quæ contra naturæ ordinem contingunt. illa uerò tribuuntur fortunæ, in quibus est inuidia. dicitur præterea fortuna causa horum bonorum, in quibus nec rationi, nec consilio locus est. ut, si reliqui fratres sint deformes, hic formosus: ille thesaurum non uiderit, hic inuenerit: illum sagitta confixerit, hunc propè stantem non tetigerit. I. P. Bona animi quæ sunt? I. B. Quoniam is locus est laudationum proprius, de his in Demonstratiuo genere agemus; nunc uideamus, quæ in singulis rebus, & actionibus censentur utilia. I. P. Quomodo ista distinguis? I. B. Horum quædam

Senectus.

Amici.

Fortunæ bona.

Animi bona.

dam dicuntur certa, & conceſſa bona, quædam dubia, & controuerſa. I. P. Quæ ſunt certa? I. B. Certum bonum id exiſtimari ſolet, quod propter ſe eſt expetendum, & cuius gratia aliud expetimus, & quod omnia appetunt, uel mentem habentia, uel ſi haberent: & quicquid ratio ſuadet cuilibet bonum eſſe, & quicquid circa res ſingulas præſcribit pariter bonum eſſe, id ſingulis bonum eſt: & quod adeſt, quodq; præſens eſt, quo quiſque rectè ſe habere ſentit; ac ſaturatus, contentusq; inuenitur: ſiue quo uitæ cõmoditates percipit, eſtq; ex ſeſe aptus; & quod ipſum per ſe ſatis eſt. eſt item bonum, quod eſt efficiens horum bonorum, quæ commemorata ſunt; aut illa cuſtodit; & quod talia bona conſequuntur: & quod talibus bonis contraria impedit, quodq; labefactat. His poſitis neceſſe eſt bonum eſſe, & adeptiones bonorum, & depulſiones malorũ, & quod pro minori bono maius, & quod pro maiori malo minus ſumitur: et uirtutes animi, per quas rectè afficimur: & uoluptatem, qua omnia animantia capiuntur: & iucunda, & pulchra, quæ quidem uoluptate afficiunt: ſed pulchritudo tum ad illa, quæ ſpecie delectant, tum ad honeſta pertinet. Si uerò ſigillatim de unoquoque diceremus, in bonis enumeraremus beatam uitam, iuſtitiam, fortitudinem,

Bona certa.

temperantiam, magnanimitatem, magnificentiam, & alios animi habitus: bonam ualetudinem, pulchritudinem, & alias uirtutes corporis: diuitias, amicos, amicitias, honorem, gloriam, facultatem & dicendi, & agendi: ingenium, memoriam, docilitatem, ſolertiam, & huiuſmodi alia: ſcientias omnes, & artes, & uitam. tandem ipſum iuſtum, quod quidem utile quoddam commune eſt. I. P. Quæ appellas bona dubia? I. B. De quibus homines inter ſe controuerſantur, & ex quibus extant loci in utranque partem ratiocinandi. I. P. Enumera locos. I. B. Poterit quis dicere bonum id ei eſſe, cui contrarium eſt malum: & id, cuius contrarium inimicis conducit. uerùm hoc non ita ſemper euenit, ſed plerunque; interdum enim utrique inimicorum idē conducit: & id, cuius non eſt exuperantia nimia: nam quod maius eſt, quàm oportet, malum eſt: & id, cuius gratia multùm laboratum ſit, uel impenſum, quod quidem ut finis exiſtimatur; finis uerò bonus eſt: & id, quod multi appetunt, & pro quo pugnandum uidetur: & id, quod laudabile eſt: & id quod inimici, & mali laudant; eſt enim tale, quod ab omnibus laudaretur: & id, quod prudentes, & boni præſtare iudicant: & id, quod omnino præferri ſolet ab hominibus in rebus ſuſcipiendis, & conficiendis: & id quod

Bona dubia.

fit

fit, ut uolunt homines: & id, quod noſtrum eſt proprium, & quod nullus obtinet, & quod ſingulari præſtantia, aut copia excellit: & id, quod nobis congruit, ut generi, potentiæ, uiribus, & pro cuiuſq; dignitate, ac facultate accedit: & id, quo carentes, deſtitui uidemur aliquo, quod nobis adeſſe deberet: & id, quod commodè efficitur: ut quod omnes, uel pares, uel ſimiles, uel inferiores fecerunt: & id, quod gratum contingit amicis, & moleſtum inimicis: & id, quod ſtudent agere ij, quos admiramur: & ad quod nati, aptiq; uidemur: & id, ad quod nullus ex infimis, & deterioribus aſpirat: & id, cuius appetentes ſumus: & id tandem, ad quod procliuiores inuenimur eſſe, undeq; nominamur. ut honor, à quo illum nimium appetentes, dicuntur ambitioſi. I. P. *Cùm expoſita ſint utilia, iam dicendum eſſe arbitror de maiori, & minori utili.* I. B. *Sanè quidem. non enim ſolum diſceptatur, quid conducat; ſed ſæpe etiam, quid magis, minúsue conducat. Maius igitur eſt id, quod plura continet, ſeu idem, & plus continet; ut pretium decem pondo auri continet pretium decem pondo argenti, & plus inſuper: & id, quod cùm maximum ſit, alterius generis ſuperat maximum; ut maximus uir, cùm maior ſit maxima muliere, euenit quoque, ut uiri omnino mulieribus maiores*

De maiori & minori bono.

ſint, & uir maximus maxima muliere ſit maior: & id, quod efficiens eſt, ut aliud conſequens ſit, nec neceſſe eſt contrà euenire; ut qui ſanus eſt, uiuit, nec neceſſe eſt, ut is, qui uiuit, ſit ſanus: & id, (cùm plura ſint, quæ rem eandem ſuperent) maius erit, quod maiori ex parte ſuperabit: & id, quod maiorum bonorum efficiens eſt; ut maius bonum eſt, quod inuenitur ſalubre, quàm iucundum, quia ſanitas præſtat uoluptati: & id, quod propter ſe eſt expetendum potius, quàm quod propter ſe non eſt expetendum: & id, quod eſt finis potius, quàm quod non eſt finis: & id, quod minus alterius indiget: & id, quod ſine altero fieri poteſt potius, quàm quod non fit ſine alio: & id, quod eſt principium potius, quàm quod non eſt principium: & id, quod eſt cauſa potius, quàm quod non eſt cauſa: & id, quod maius eſt principium: & id, quod à maiori principio ortum habet: & id, quod maior eſt cauſa: & id, quod à maiori cauſa efficitur: & id, quod eſt rarius, ut aurum: & alio modo id, quod uulgare eſt; unde dicitur, Optimam eſſe aquam: & id, quod eſt difficilius, quòd rarius eſſe ſoleat: & alio modo quod eſt facilius, quia ſe habet, ut uolumus: & id, cuius priuatio maior reputatur: & id, quod eſt uirtus: & id, quod eſt uitium; fines enim ſunt, finis uerò uidetur

ma-

maior eo, quod non est finis: & id, quod maioris uirtutis, aut uitij est opus: & id, quod maioris operis est uirtus, aut uitium; nam qualis est causa, & principium, talis est euentus; & qualis euentus, talis causa, & principium: & id, cuius præstantia magis est expetenda, aut honestate est laudabilior; ut acriùs uidere magis expetitur, quàm acutiùs odorari; & studiosum esse amicitiarum est honestius, quàm pecuniarum esse appetentem. igitur & uisio præstat odoratui, & studium amicitiarum cupiditati pecuniarum. contrà uerò, eorum, quæ potiora sunt, potiores; & eorum, quæ honestiora sunt, honestiores erunt præstantiæ. ut, si uisio odoratui præstat, potius erit acutiùs uidere, quàm acutiùs odorari; & studere amicitijs, quàm pecunijs: & id cuius cupiditates honestiores sunt, uel meliores; & contrà, eæ cupiditates erunt meliores, & honestiores, quæ rei fuerint melioris, & honestioris: & res illæ erunt potiores, quarum scientiæ, & artes fuerint potiores: contrà uerò, tales erunt scientiæ, & artes, quales fuerint res: & id, quod iudicarent, uel etiam iudicarunt prudentes, aut omnes, aut multi, aut plures, aut præstantiores, bonum, uel maius bonum, ita censendum est esse: & id, quod in re potiori inest. ut, cũ animus præstet corpori, potior erit fortitudo

animi

animi robore corporis: & id, quod melior eligeret; ut iustior eligeret potius affici, quàm afficere iniuria: & id, quod est iucundius: & id, quod est pulchrius: & id, cuius quilibet sibi, aut amicis magis cuperet esse author; & id item, cuius minimè uellet: & id, quod est diuturnius: & id, quod est firmius: & id, quod ex coniugatis demonstrabitur præstantius; ut, si quod fortiter gesseris potius est eo, quod temperatè; & fortem esse, quàm temperantem magis erit expetendum: & id, quod omnes expetunt, & item plures: & id, quod etiam ab hostibus, uel ab ijs, qui iudicare possunt, uel ab ijs, qui sua optimè norunt, contenditur esse maius: & id interdum, cuius omnes participes sunt, quòd contemni is uideatur, qui cum cæteris eiusdem rei non fit particeps; interdum, cuius nullus, uel pauci, quòd rarius sit: & id, quod est laudabilius: & id, cui maius honos habetur: & id, cuius gratia maiora solent infligi damna: & id, quod ijs, quæ concessa sint, uel uidentur esse magna, maius erit: & id, quod diducitur in partes; multa enim exuperantiam indicant, ut uiri hostili ferro concidunt, ciuitatem ignis in cinerem redigit, liberi in seruitutem abducuntur, & mulieres: & contrà id, quod contrahitur; nam summa rei pariter indicat exuperantiam, ut hostem urbem capiunt:

piunt: & occaſiones, et ætates, et loca, et tempora, et facultates amplificant; ut ſiquis ſupra ætatem, præter cæteros, atque ſi eo modo, loco, et tempore aliquod honeſtum, bonumq; egerit; ut Iphicrates filius ſutoris dux extitit Athenienſiũ exercitus: & id, quod innatum eſt, & noſtro marte partum: & id, quod rei magnæ præcipua pars fuerit, ut uer anni: & id, quod dum maior aliqua neceſsitas urget, utile eſt, ut in ſenectute, & morbo: & eorum quæ ad eundem finem referuntur, id maius eſt, quod propiùs finem attingit: & id, quod nobis bonum eſt magis, quàm quod ſimpliciter: & id, quod fieri poteſt: & id, quod finem, qui in uita expetitur, attingit: & id, quod ad ueritatem potiùs, quàm quod ad ſpeciẽ ſpectat: & id, quod adeſſe potiùs nobis, quàm uideri adeſſe uolumus; etſi quidam iuſti uideri, quàm eſſe malint, non tamen idem in ſanitate euenit: & id, quod ad plura utilius eſt; quare diuitiæ, & ſanitas maxima uidentur eſſe; his enim multa aſſequi poſſumus: & id, quod longiùs à dolore abeſt, ſimulq; uoluptatem continet: & id, quod adiunctum alicui rei, illam maiorem, quàm uiduis aliud reddit: & id, quod cùm adeſt, quale ſit non latet: & id, quod amabile, & charum eſt. ac charum quidem eſt, tum ſolum per ſe, tum mul cum alijs rebus; ut alter oculus cum altero,

& qui relictus sit solus, sed ablato eo, qui solus relictus fuerit, maius uidebitur damnum. Ac de rebus quidem bonis, ac locis de utili hæc dicta sint. Caput uerò est ad probabiliter dicendum, & ad consilium dandum nosse genera rerumpub. quid cuiq; conducat, illarum mores, & instituta. Genera quatuor sunt rerumpub. status popularis, in quo sorte distribuuntur magistratus; paucorum, in quo censu; optimatum, qui à legibus, atque ab optimo iure non recedunt; unius imperium, cùm unus omnium est dominus. hæc uerò, si ordine administrantur, regnum appellatur, sin immoderatè, & infinita licentia, tyrannis. Status popularis finis est libertas, paucorum dominatus diuitiæ, optimatum potestatis, quæ ad disciplinam, & leges pertinent, tyrannidis custodia. Tenendi præterea sunt mores, qui apud singulas resp. probantur, & instituta, & uitæ disciplina. atque hæc maximè exprimat dictione sua orator, referatq; ad finem eius, in quo erit reip. statu. I.P. Accepi, quæ ad persuadendũ afferri oportet: uideamus deinceps, quibus rebus alterum laudare poßimus. I.B. Honestũ, et turpe proposita sunt laudantibus, & uituperantibus, de quibus cùm dicemus, simul illa aperiemus; quibus quis probata uita, & moribus, ut fide dignus sit, uideri poßit. Quoniã uerò cõtingit, ut et

Genera rerump.

De genere Demonstratiuo.

oble-

oblectationis, ac exercitationis gratia, atq; etiam aliqua magna causa adducti, laudemus non solùm Deum, et hominẽ; sed alia quoq; animantia, et inanima, ut in deliberationibus fecimus; ita hîc quoque, ut is, qui perfectam tractationem non persequitur; sed res simpliciter, ueluti exẽplar proponit, propositiones rerum laudabilium persequamur. Honestum igitur est id, quod cùm propter se sit expetendum, laudabile est. uel quod bonum existens, iucundum sit, quia bonum. Si autem hoc est honestum, necesse est uirtutem esse honestam, bona enim cùm sit, laudabilis est. Est autem Virtus, ut communiter uideri solet, uis bona pariens, et conseruans; uel uis benefica, in multis rebus, et magnis, et in omnibus circa omnia. eius partes sunt iustitia, fortitudo, temperantia, magnificentia magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia. et quoniam uirtus est uis benefica, constat eas uirtutes esse maximas, quæ aliis maximo usui fuerint. Iccirco primùm iusti, et fortes maximè honorantur. hi enim in bello, illi uerò etiam in pace utiles sunt. deinde liberales: largiuntur enim, nec contendunt de pecuniis, quas alii concupiscunt. Est autem Iustitia uirtus, per quam singuli sua retinent, idq; secundum leges: in iustitia uerò, qua aliena in sua conuertunt contra leges. Fortitudo est uirtus, per quam præclara

Honestum

Virtus.

Virtutis partes.

Quæ sint maximæ uirtutes.

Iustitia.

Fortitudo

geruntur

geruntur facinora in ijs, quæ periculum habent, & ut leges iubent, estq; ministra legum. timiditas uerò contrà agit. Temperantia est uirtus, per quam ita nos habemus ad uoluptates corporis, ut lex iubet. intemperantia in contraria fertur. Liberalitas in usu pecuniæ cernitur, cùm per ipsas quis benemeretur. auaritia ei est contraria. Magnanimitas est uirtus, quæ amplissima præstat beneficia. qui pusillo animo sunt, contrà agunt. Magnificentia est uirtus, qua sumptibus magna efficiuntur, et splendida. in quibus paruus, angustusq; est animus, ab his contraria proficiscuntur. Prudentia uerò est uirtus solertis animi, qua rectè consultare possumus de bonis, & malis antè commemoratis ad beatam uitam spectantibus, atque aduersantibus. De uirtute igitur, et uitio, ac eorum partibus hæc dicta sint. Honesta præterea censenda sunt, et quæ efficientia sunt uirtutis, quæ à uirtute fiunt, quorum pretium est honos, et gloria, in quibusq; honos magis expetitur, quam pecuniæ. et quæ agit quis ex ijs, quæ expetuntur, aliorum potius, quàm sua causa. et quæ simpliciter bona sunt, ut quæ quis ageret pro patria, contemnens sua. et quæ natura bona sunt. et quæ contingunt mortuo potius, quàm uiuenti. et opera honesti causa suscepta, quæq; præclarè gesta fuerunt. quæ sunt con-

Temperantia.

Liberalitas.

Magnanimitas.

Magnificentia.

Prudentia

Quæ præter uirtutē honesta sint.

contraria ijs, ob quæ uerecundamur, ut cùm turpia loquimur, et facimus; et dicturi, et facturi sumus. et illa, de quibus angimur non metuentes; ex bonis enim ad gloriam deducentibus ita afficimur. Et, cùm plura sint honesta, uirtutes, et studia, et opera uirorum potiora erunt, quàm mulierum. et quæ sunt fructuosa magis alijs, quàm nobis, ac maximè benemerentibus, quamobrem maximè honesta sunt iustitia, et iustum. Laudabilius uidetur pœnas de inimicis sumere, quàm ijsdem reconciliari. quòd malum pro malo tribuere iustum uideatur, atque uiri esse fortis, non inferiorem esse, et inuictum remanere. præstantiam uirtutis indicant uictoria, et honos. magnam laudem afferunt commemoratio uirtutis, ac nominis, et monimẽta. honoratiora uidentur quæ bonos consequitur, quæ præstantia excellunt, quæ possidentur sine fructu, quæ apud singulos separatim in honore sunt: et quæ signa sunt eorum, quæ apud singulos laudantur: et in nulla arte illiberali, et sordida uersari. Considerandaetiam sunt finitima, et propinqua honestis, et turpibus. ut si consideratum timidum appelles, et audacem fortem. et illa, quæ in honore sunt apud eos, quos laudas, reuocanda sunt ad honestum. item quæ ad consentanea referuntur, ut quæ dicta maioribus geruntur. et quæ adhuc præter id, quod

De honestorum inter se comparatione

De his, quæ uerbotenus, non re, & ueritate honesta sunt.

quod consentaneum est, inueniuntur meliora. ut Iphicrates sutoris filius extitit dux Athenienſium exercitus. Quæ uerò gesta fuerint, ostendenda sunt consilio, & prouisione esse facta, quod consequeris, si ostendes eadem sæpius fuisse gesta.

De triplici ratione laudandi. Laus. Encomiũ.

Multiplex autem solet esse ratio laudandi aliquem: ut uel cùm honestos animi habitus ostendimus, & dicitur Laus; uel ad animi uirtutem adiungimus res gestas, & uocatur Encomium; uel simul cum animi uirtute, & factis illustribus complectimur cætera omnia, quæ generatim in homine ueniunt laudanda, & ornanda, ut nobilitatem educationem, et similia: et appellatur apud Græcos μακαρισμὸς, & εὐδαιμονισμὸς. Illud quoque sciendum est, laudes, et deliberationes habere commune genus. nam et quæ persuadentur, et quæ laudantur, eadem sunt; sed dictio commutatur. ut suadendo, ita dicemus, non oportet nimium confidere fortunæ; sed iis, quæ in nobis sunt posita: laudando uerò ita, non fortuna; sed sua uirtute confidebat. Vt uerò exempla deliberationibus, enthymemata iudiciis; ita amplificatio laudationibus præcipuè est accommodata. Amplificant uerò illa, si quis solus, uel primus, uel cum paucis, uel potißimùm, præclarè aliquid geßerit; et si difficili tempore, et si sæpius, et si ab eodem quid laude dignum sit inuentum, et constitutum

μακαρισμὸς Commune genus esse laudi, & deliberationi.

Amplificatio ppria est deliberatiui generis. Quæ amplificent.

ac

ac si horum copia non erit, conferemus cum alijs. & si poterimus, cum illustribus; sin minus, quibuscum poterimus. I. P. Cognoui suasionis, & laudationis locos, nunc quæ iudicijs accommodata sunt expecto. I. B. Hîc illa quæruntur, quæ iniuriosè fiunt. est uerò iniuria, cùm quis libens contra leges lædit. Libentes iam illa iniuriosè faciunt homines, quæ meditata, & præparata agunt, & ab improbitate, & incontinentia impelluntur, atque quo quisq; laborat uitio, in eo inuenitur iniustus. Veruntamen quædam uidentur non per se agere, ut cùm ad aliquid agendum fortuna, natura, & ui impelluntur. Fortuna illa fieri dicuntur, quoruncunque causa neque certa, stabilisue inuenitur, neque gratia alicuius certæ rei, neque semper, neque plerunque, neque ordine fiunt. Natura, quorumcunque causa in ijs, quæ fiunt, adest. idq; ordinatim: nam hæc aut semper, aut plerunque similiter, & eodem modo fiunt. Vi, quæ fiunt contra eorum, qui agunt, cupiditatem, siue contra quàm ijdem secum ratiocinando, iudicant esse faciendum. Quædam uerò dicuntur per se agere: ut quæ consuetudine, ratione, ira, & cupiditate agunt. consuetudine, quæcunque aliqui faciunt, quòd ea sæpius fecerint. ratione, quæcunque conducere, & utilia esse uidentur ex his bonis, quæ ante commemorata sunt. ira, & perturbatione illa fiunt, quibus aliquos, ut animus ex-

De genere Iudiciali.

Iniuria quid sit.

Septem causæ, quibus quis alium lædit.

Fortuna.

Natura.

Vis.

Quæ per se agunt.

Consuetudo.

Ratio.

Ira.

Cupiditas

pleatur, punimus. cupiditate, quæcunque uidentur iucunda. Nec est, ut iam distinguamus adhuc illa, quæ aguntur ætatibus, habitibus, & statu, conditioneq; uitæ, quia & iuuenes, & senes, iusti, & iniusti, diuites, & pauperes, nobiles, & ignobiles, & potentes, & principes, uel ratione, uel affectionibus permoti agunt omnia. quamuis & de his alio loco agemus. Quoniam uerò, quæ per se agunt homines, omnia uel propter utile agunt, quòd aliqua sint, uel uideantur bona; uel propter uoluptatem, quòd aliqua sint, uel uideantur iucunda: iam uideretur de rebus utilibus, & iucundis esse dicendum. uerùm, quia de utili in deliberationibus dictum est, restat, ut de iucundis tantummodo agamus Quæ ut pateant, constituamus prius, reiectis, quæ esse solent, controuersijs, uoluptatem esse animi quendam suauem motum, & iucundum sensum, naturam ipsam quasi statim saturantem, cumulateq; explentem: dolorem uerò contrarium. Si iam tale quippiam est uoluptas, manifestum est id esse iucundum, quod efficiens sit commemoratæ affectionis: quod uerò efficiens est contrariæ, uel eam tollit, acerbum. Necesse est igitur iucundum esse, cùm tendere ad illa, quæ secundum naturam plerunque sunt, & fiunt: tum maximè quæ secundum alicuius naturam fuerint facta, atque illius expleuerint naturam: & quæ consuetudi-

Vtilitas & Voluptas propter quas iniuria fit.

Quid sit Voluptas.

Quid sit Iucundũ.

Loci rerũ Iucundarum.

tudine fiunt; mos enim similis est naturæ: & quod non est uiolentum, nec necessitatem habet; nam graue est omne, quod necessitatem affert. idcirco desidia, otium, incuria, ludi, requies, & somnus iucunda censentur: & quod cupimus siue ab ipsa natura impulsi, ut cibum, potum, uenerea, odores, res auditu, & aspectu iucundas; siue ratione permoti, ut id, in quo persuasi fuerimus inesse aliquid iucundi: & quod recordamur, quodq; speramus; quia animo id obijcitur, quod iucundum sit. atque omne, quod dum adest, iucundum est, etiam dum meminimus, & speramus, uoluptate plerunque afficit. quare & ira iucunditatem habet, quòd eam consequatur uoluptas orta à spe ulciscendi: & quod cupimus uel recordando, uel sperando; ut qui febri iactantur, ac meminerint se bibisse, sperentq; se bibituros; quiq; amant, nam loquendo, scribendo, siue aliud agendo reminiscentes, semper aliquid de persona, quam amant, habent, quo gaudeant: et ulciscì, quia iratus id maximè expetit: et uincere, uincendo enim in animo quasi species excellẽtiæ imprimitur, cuius omnibus inest cupiditas uel remissa, uel uehemens: et ludi, ijq; et pugnæ, et concentuum, et contentionis, et talorum, et pilæ, et aleæ, et tesserarum. contingit enim in ipsis uincere: et honor, bonaq; fa-

ma; quòd unicuique uideatur, uti laudatus fuerit, ita quoque et uirtutis, honestatisq; studiosus esse. atque id eò magis, si qui laudant ex ijs sint, qui uera dicere uideantur: et amicus; nam amare iucundum est. nullus enim amat uinum, qui eo non delectetur: et amari; qui enim sentit se amari, putat in se illa esse, quorum omnes cupidi sint. amari uerò est, cùm quis propter se ipsum diligitur. et iucunditatem percipimus, cùm quis nos admiratur, et cùm quis nobis adulatur. est uerò adulator, qui admirari uidetur, estq; simulatus amicus: et dum eadem sæpius agimus. dictum est enim id esse iucundum, quod agere consueuimùs: et commutationes, iucundæ sunt. unde dicitur, Varietas in rebus omnibus dulcis. quare et quæ temporis interuallo fiunt, iucunda sunt, tum res, tum homines. rara enim iucunda sunt: et discere, et admirari. nam quod est admirabile, iucundum est; atque discendo status, qui nobis naturalis est, acquiritur: & dare, & accipere beneficium, etenim qui dant, quæ expetuntur, tenent; qui accipiunt, quæ cupiunt, consequuntur: & alios erigere, & subleuare: & quæ imitatione consequimur, ueluti sunt picturæ, statuæ, poesis, & omne, quod à nobis imitatione factum sit; & subire rerum uarietates, atque in contrarium commutationes; simulq; ex periculis

dum

dum aliquis uix iam ſaluus euaſit: & quæ ſunt eadem genere, ſimiliaq́, ut homo homini, iuuenis iuueni iucundus eſt. unde illud tritum prouerbium: coæuum coæuo delectari. & quilibet ſibi ipſi iucundus eſt, bene de ſe exiſtimat, ſuaq́; quẽq́; delectant; ueluti opera, & ſermones. idcirco adulationibus delectantur plerunque homines, lætantur ſuis amatoribus, gaudent honoribus, oblectantur ſuis liberis, ueluti ſuo opere. manca item ſupplere, inchoata perficere iucundum eſt: & imperare, ſapere, aliosq́; reprehendere: & illa agere, in quibus ualere quis ſibi uidetur: & ioci, animi remiſſio, riſus, ac ridicula, tum homines, tum orationes, tum actiones. quæ autem ſint moleſta ex contrarijs licet colligere. I. P. Videntur hæc ſimul cum rebus utilibus eſſe cauſæ, propter quas iniuriæ inferuntur: quid habes præterea de ipſis dicere? I. B. Quomodo affecti ſint, qui iniurias inferunt, & in quos. I. P. Expone illorum affectiones: I. B. Qui iniurias inferunt, ita ſunt affecti, ut arbitrentur rem poſſe confici, & à ſe, & ſe item latere poſſe: & non daturos iudicio pœnas; uel damnum minus fore, quàm emolumentum, aut ſuũ, aut eorum, qui ſibi curæ ſunt. Quæ fieri, quæq́; non fieri poſſe uidentur, tum oſtendemus, cum de ijs, quæ omnibus cauſarum generibus ſunt communia, agemus. Illi uerò

Quid inferunt iniurias, quomodo affecti ſint.

pune iniurias facere se posse credunt, si facultate agendi, & dicendi muniti sint, si amicis potentibus sepți, si uel iniuria affecti, uel iudices sint amici. illi pariter latere solent, qui non putantur facinus admisisse. ut imbecillis uerberasse; pauper, ac deformis adulterasse. atque illa abesse uidentur à facinoris suspicione, tum quæ ualde patent, quòd nullus existimetur fuisse conatus: tum quæ talia sunt, ut ne unus quidem illa aggressus sit. illi item putant se latere, & quibus nullus inimicus est, & quibus multi: nam, cùm obseruantur, non uidentur conaturi. item illi, qui latibula habent, & qui possunt aut iudicio periculum pœnæ depellere, aut differre, & procrastinare, aut corrumpere iudices, aut si multa irrogetur, actio sit eiusdem depellendæ, aut tempus differendi, aut propter inopiam nil habeant, quod amittant, aut uideant lucra certa, magna, propinqua, damna uerò modica, incerta, longinqua, aut pœna par non sit utilitati, aut sibi iniuriæ lucrum, damna uerò dedecus: uel contrà iniuriæ laudem apportent; damna autem sint uelut pecuniæ, uel exilium. aut qui sæpe latuerunt, aut pœna mulctati non fuerunt, aut sibi parum res prosperè succesßit, uoluntq; denuo eam aggredi, ut bello superati renouant pugnas. aut qui putant statim aliquid utile, uel iucundi contingere,

gere, post uerò acerbi; & iactura iam, iamq; adest, iucundum, & utile deinceps. aut quibus contingit, uideri fortuna, necessitate, natura, consuetudine feciſſe, atque omnino etiam deliquiſſe; ſed minimè iniuriam feciſſe. aut qui putant fore, ut non ſummo iure; ſed mitiùs, & ex æquo, & bono ſecum agatur. aut qui egent uel rebus neceſſarijs, uel ſuperuacaneis. aut qui, cùm in maxima, & optima exiſtimatione ſint, non putantur, uel cùm in nulla, ſeu turpi, nihilominus putantur. I. P. Iniuria iam quos afficiũt? I. B. Eos, & qui illa habent, quibus ipſi egent, ſiue ſint illa ad uictum neceſſaria, ſiue ad magnificentiam ſpectent, ſiue ad uoluptatem. & qui propè ſunt, & qui procul: ab illis enim celeriùs ſua auferunt, ab ijs uerò tardiùs puniuntur. & qui minimè cauti, nec cuſtodia tecti; ſed creduli ſunt. & deſidioſos iniuria afficiunt, & uerecundos, & à multis iniuria affectos, qui contrà non uenerint. eos & quibus nullam, & quibus ſæpe iniurias impoſuerunt. ambo enim non ſibi cauent: ij quidem tanquam non deinceps iniuria afficiendi; illi uerò tãquàm nunquam petiti. oneratos criminibus, opprobriiſq;, aut qui facilè calumnijs opprimi poſſunt. eos, contra quos cauſam poſſunt prætexere iniuriæ illatæ. inimicos, itemq; amicos: illis libenter, his facilè iniuriæ imponuntur. deſertos

Qui iniuria afficiãtur.

ab amicis, ab ijs, qui dicendo, & agendo ualent. eos, quibus non conducit otiari expectando, ut causa disceptetur. eos, qui multa iniuriosè egerunt, uel talia, qualia patiuntur, uel mala intulerunt, uel inferre uoluerunt, aut uolunt, aut illaturi sunt. eos, quos uexando gratum facimus, aut amicis, aut alijs, quibus debere uidemur. eos, cum quibus iam simultates extiterunt. eos, qui ab alijs nihilominus mala passuri sint. eos, quos iniuria afficiendo, multa possunt iustè agi. I. P. *Cognoui quidem causas, propter quas iniuriæ inferuntur, & quomodo affecti sint, qui inferunt, & in quos inferri soleant; sed quænam sunt illa, quæ iniuriosè fiunt?* I. B. *Quæ omnes, aut multi iniustè agere cõsueuerũt, deinde quæ facilè cælari possunt, tum quæ redundant in contumeliam eorum, quibus iniuriæ inferuntur.* I. P. *Quid præterea habes de iniuria dicere?* I. B. *Illorum, quibus crimina ascribuntur, quidam dicuntur inscientes, & inuiti feciſſe, quidam libentes, & scientes. ac horum, qui libentes fecerint, partim electione (ac de his dictum est) partim quodam animi impetu inueniuntur egiſſe, de quibus post loquemur. ac electio quidem malitiam, & iniuriam præsefert. quare sæpe contenditur de ui uocabuli: ut qui alterum pecuſsit, negabit se contumeliam; qui aliquid accepit, furtum feciſſe.*

Quæ iniuriosè fiãt.

Quibus modis crimina ascribantur.

feciſſe. quia nec ille, ut contumelia afficeret percuſſit: nec hic, ut alteri damnum afferet, accepit. itaque definire hîc oportet, ut iniuria demonſtretur, quid ſit furtum, quid contumelia. Iuſta uerò, & iniuſta tum lege ſcripta ſanciuntur, tum ſine ſcriptis conſeruãtur. quæ nullis ſcriptis continentur, duo complectuntur genera, alterum quidem eorum, quæ exuperantiam habent uirtutis, & uitij, in quibus inſunt uituperationes, & laudes, ignominiæ, & honores, & donationes, & præmia: alterum uerò, quo æquo, & bono illa ponderantur, in quibus lex ſcripta deeſt. Eſt enim æquum, & bonum præter legem ſcriptam iuſtum quoddam. quod quidem contingit partim inuitis, quia quod iuſtum eſt latet, partim libentibus legum ſcriptoribus, quòd ipſi uniuersè, et generatim loquantur, nec definiant rem, ut aliquando in controuerſiam uenit; ſed ut plerunque: nec illa attingunt, quæ propter infinitatem circunſcribi, ac definiri non poſſunt: ut quanto, qualiq; ferro uulnus impoſitum ſit. quare ſiquis manum attolens, annulo ferreo, quem in manu habuit, percuſſerit aliquem, lege quidem ſcripta reus eſt, quæ uetat appetere, & percutere aliquem ferro, & iniuſtè egit: uerè autem, cùm conſilium percutiendi, & lædendi abfuerit, nõ egit iniuſtè. hoc enim ex æquo, et bono iudicatur. ac qui ita iudicant, uiri æqui habentur.

Iuſtorum & Iniuſtorum genera duo.

De æquo, & bono, quid ſit.

&

Aequitatis loci.

& illa æqua existimantur, in quibus ueniam dan dam, atque esse ignoscendum censemus. deinde quæ per errorem, quæq; casu, & fortuna admittuntur, non similiter erunt iudicanda, ut quæ malitia machinantur. æquum præterea est humanis casibus ignoscere, & non legem, sed uoluntatem scriptoris; non uerba, sed sententiam considerare: & spectare, non factum, sed consilium, ac uoluntatem: non partem, sed totum: & meminisse magis, quibus bonis quis affectus fuerit, quàm quibus malis: magisq; quæ bona susceperit, quàm quæ ipse præstiterit; & iniuria affectum, illam patienter ferre: ratioeq;, & oratione magis, quàm re, ac manu controuersias dijudicare uelle: et malle ad arbitrum, quàm ad iudicem accedere. arbiter enim æquum respicit, iudex uerò legem. hac uerò de causa arbiter inuentus est, ut æquum ualeat. I. B. *Quoniam de iniuria, quæ contra leges fit, et de æquitate dixisti, iam de maiori iniuria audire uellem.* I. B. Maior iniuria est, *quæ à maiori oritur iniustitia. ideo minima interdum maxima uidentur, quòd à maxima iniustitia oriantur: ut qui tribus obolis ex pecunia templo dicata ædificatores Sacelli fraudauit. qui enim id furatus est, quiduis præterea admitteret. In iustitia contrà ratiocinamur, ut non qui in minimis iustè se gessit, in maximis idem acturum affir-*

Maior iniuria.

ffirmemus ; ſed , ſi in maximis iuſtè egit, in mi-
imis quoque iuſtè acturum dicamus . maior igi-
ur iniuria tum hoc modo , tum ex maiori damno
udicatur . Maior et illa exiſtimatur iniuria,
uius par non extat , ſed omnis minor inuenire-
ur pœna: et cuius nullum habetur remedium : et
uius pœnas is , qui paſſus eſt , perſequi non po-
eſt . et ſiquis perpeſſus , aut iniuria affectus ſe-
ipſum aliqua grauiori pœna mulctauerit, ut Eu-
temon , qui iniuria affectus ſe ipſum iugulauit :
& quod quis ſolus , uel primus , uel cum paucis
atrauit : & idem ſæpius egiſſe maximum exi-
timatur . magna & illa crimina ſunt , quorum
auſa interdicta , & ſupplicia inuenta ſunt . ut
Argiui eum puniunt , propter quem lex noua,
uæ aliquid uetet , lata ſit: & illos propter quos
arcer ædificetur . & quod ad belluarum feri-
atem , & immanitatem magis accedit . maiora
tem ſunt , quæ meditati , quàm quæ caſu com-
ittimus : & quæ , qui audiunt , magis timent,
uàm miſerentur . Illa uerò ad amplificandum
alent , in quibus oſtenditur aliquem uno facto
lura iura peruertiſſe , aut imminuiſſe , ac uio-
aſſe ; ut iuſiurandum , datam dexteram , fidem,
onnubia , affinitatem . maius & illud ſcelus ha-
etur , quod ibi committitur , ubi puniuntur ſon-
es ; quod peccant falſi teſtes : & illud , in quo

Quæ amplificent Iniuriam.

maxi-

maxima inerit turpitudo: & iniuria benemeri tum afficere. tunc enim mala inferuntur, & bo na non præstantur. Reprehenditur *interdum quispiam, qui in ijs tantummodo iustus uideri st deat, quæ scriptis legibus sanciuntur; quòd uir melioris sit, non necessitate coactum iustum esse interdum is, qui in ijs, quæ scripta non sunt, ue lit uideri iustus, quòd qui illa admittunt à qui bus leges deterrent, etiam in illis, quæ detrimen ta non apportant, iniustè se gererent.* I. P. *Vide tur nunc mihi tempus illa exponendi, quæ appel lasti artis expertia.* I. B. *Ita est. hæc quidem, qu non excogitantur ab oratore; sed in re posita r tione tractantur, quinque sunt numero: lex, te stis, pactum, quæstio, iusiurandum. Itaque si scri ptum contrarium sit facto, communi utemur le ge, & æquitate, quòd hæc iustiora uideãtur; quòd minimè in omnibus utendum sit scriptis legibus quòd lex communis, & æquitas semper maneant, nec unquàm commutentur, ueluti quæ natura extent: quòd iustum uerum quoddam sit, & uti le, minimè autem quod opinatione iudicatur; u lex scripta. constitutus autem est iudex, qui ex pendat uerum, & adulterinum iustum: quòd melioris uiri sit stare, & uti non scriptis, quàm scriptis legibus. Si quando autem scriptum, siue lex, quam oppugnamus, ambigua fuerit, aut sibi,*

aut

Quæ artis expertia.

De lege scripta. Loci ad infirmandum scriptum.

ut aliæ probatæ legi inuenietur contraria, illam ſententiam arripiemus, quæ noſtræ cauſæ congruere uidebitur. Et, ſi res propter quas lata eſt lex, deſierint, dicendum eſt & legem pariter deſinere debere. Sin autem ſcriptum cum facto conueniet, dicendum erit, potiorem ſententiam eſſe, ut ſcriptis pareatur: propterea quòd leges non ſunt conditæ, ut ſine ipſis, aut contra ipſas iudicia fiant; ſed ne fides, religioq; iudicum uiolentur, ſi quod leges iubent fortè ignorantes aliquid contra ipſas ſtatuant: et q, nullus, quod ſimpliciter bonũ eſt, eligat; ſed quod ſibi priuatim utile ſit: et q, nil differat, leges non eſſe latas, & legibus non uti: et ut non conuenit medicũ inſimulare errati, ita nec leges reprehẽdere: et q, ne quis ſtudeat ſapientior uideri, q̃ leges, id eſt quod laudatis legibus cauetur. Teſtium autem duo ſunt genera. nam quidam antiqui ſunt, ut poetæ, & quiuis alij clari uiri. atque ij quidem de rebus præteritis teſtimonium, aut ſententiam tulerunt. ipſis uerò maximè credimus: odio neutiquam mouentur, nec gratia; item nec prece, nec pretio corrumpuntur. ſunt etiam de futuris teſtes, ut oraculorum interpretes. Prouerbium præterea teſtimonium quoddã uetus eſt: ut illud, beneficium non eſſe collocandum in ſenem. Quidam uerò ſunt recentes: ut clari uiri, de quorum prudentia, & iudicio aliquod ſaltẽ

Loci ad confirmãdum ſcriptum.

De Teſtibus.

Antiqui teſtes.

Recentes teſtes.

extet

extet ſpecimen. atque recentium, quibuſdam p
riculum commune eſt, ſi uiderentur mentiri, a
hisq; quæritur tantummodo, factum ne ſit, au
non factum; ſit, an non ſit: quibuſdam non eſ
commune, ſuntq; ipſi longe à cauſa remoti, &
propter earum inſignem prudentiam ſunt fide d
gniſſimi, ubi de rebus iuſtis, & iniuſtis, utili
bus, & inutilibus quæritur. Qui iam teſtes no
habebit, diſputabit, quæ fidem faciunt, non ſp
ctari teſtibus, quòd ex probabilibus oporteat i
dicare. nam argumenta non ualent pecunia illu
di, nec conuincitur per ipſa falſa eſſe allata te
ſtimonia. Cui uerò teſtium ſuppetit copia, con
tendet rationes probabiles ſi quando fallunt, no
ſubire, ut teſtes, iudicis caſtigationem, & ani
maduerſionem. & nil opus eſſe teſtibus, ſi arg
menta per ſe ualent res, quales ſunt, demonſtr
re. Sunt autem teſtimonia quædam de noſtra
quædam de aduerſarii perſona: & item alia d
facto, alia de uita, & moribus. Si uerò teſt
ſunt amici, aut inimici, aut uiri probati, aut i
famia notati ex iis locis poterit quis diſputare,
quibus aliquid eſſe, aut non eſſe oſtenditur. Pa
cta autem ſi nobis ſuffragabuntur, fide digna
& rata eſſe debere demonſtrabimus; ſin pro a
uerſario erunt, contra agemus. atque hæc tra
ctatio non diſſimilis eſt ei, quam in teſtibus do
cuimus

Locí pro argumẽtis contra teſtes.

Loci pro teſtibus contra argumenta.

De Pactis.

cuimus. nam quales illi fuerint, qui pactionibus obligati sunt, quiq; alios obligant, uel qui tabulas obsignant, uel asseruant, tales pactiones existimandæ sunt. Cùm pacta non negabuntur, si cum nostra causa consentient, dicemus pactum esse legem priuatam, & singulorum, & à legibus rata fieri pacta, & ipsas quoque leges esse pacta quædam. ideoq; qui pacta tollit, leges tollit. multa præterea pactionibus componi, & nobis libentibus contrahi: usum uerò hominum inter se dirimi, si pacta fiant irrita. similia alia facilè inueniri possunt. Sin nobis aduersabuntur, & pro aduersario erunt, primùm ita disputabimus, ac si legem oppugnaremus. nam si legibus errore latoris non rectè conditis non arbitramur esse obtemperandum, minus obtemperandum erit pactis. deinde cùm iudex iusti sit designator, non solùm quid ut iustum: sed etiam ut iustius, & æquius considerandum est. iustum quoque neque dolo malo, neque ui distorqueri, ac deprauari potest, cùm natura sit insitum: pacta uerò fiunt etiam aliquibus deceptis. Est præterea considerandum, an pacta contraria sint alicui legi, an item honestati, & æquitati, an etiam aliis pactis posterioribus, uel prioribus. alia enim poterunt demonstrari fide bona, alia dolo malo esse facta. est deinceps utile intueri, an aliquid

Loci ad pacta con firmanda.

Loci ad in firmanda pacta.

insit

Quæstionibus.

Loci a quæstionibus,& contra.

De Iusiurando quatuor controuersias incidereanteq̃ iuret.

Si nolumus aduersarium iurare.

Si nos iurare recusamus.

insit in pactis, quod iudicibus aduersetur,& quæ sunt talia. Quæstiones autem testimonia quædam sunt, fidemq; habent, quòd illis uis quædam adsit ueritatem extorquendi. Si causam nostram adiuuabunt, dicemus ipsas solas ex testimonijs, quæ adhibentur, ueras esse. sin pro aduersario erunt, reprehendemus rationem hanc extorquendæ ueritatis, quòd nihilominus falsa, quàm uera, ui tormentorum dicantur: & sunt qui perferant potius tormenta, quàm uera fateantur: & qui facilè mentiantur, ut citius cessent tormenta. uerùm oportet habere exempla rerum similium iudicibus nota. In iureiurando quadripartita utimur diuisione. aut enim nolumus aduersarium iurare, quòd pecuniarum ergô, aut alia de causa nobis falsum iurare posse uideatur. deinde cũ iurauisset, non permitteret nos iurare. ac iudices illũ, qui non iurauerit putant esse condemnãdum. tum minoris est periculi rem nostram in iudicum potestate relinquere, quàm in conscientia aduersarij. illis enim credimus, huic uerò minimè. Aut nos iurare recusamus, quia de pecunijs est iusiurandum. et si mali essemus, non uereremur falsum iurare, ut causam obtineremus. quare propter uirtutem, ac bonitatem, non quòd falsa iuraret, dicere quis posset se non iurare. atque hîc congruit illud Xenophanis: Simile esse impium prouocare pium

ad

ad iusiurandum, ac si ualens imbecillum ad pugnam uocaret. Verùm si iurare uoluerimus, nobis ipsis dicemus nos confidere, non autem aduersario, cuius nobis suspecta sit religio. & illud Xenophanis conuertemus: ut impius det optionem iurandi; pius uerò iuret. & graue esse impium nolle dare pio facultatem iurandi. Sin alterum iurare uoluerimus, dicemus pium esse uelle se Diis committere, qui periuria sint uindicaturi. & non opus esse ei, qui iurauerit alijs iudicibus, cùm in ipso iudicandi sita sit facultas. & absurdum esse nolle de his rebus iurare, de quibus censeat rectè alios iurare. Cùm autem iuratum est, si à nobis iuratum sit, & aduersarius inueniatur deceptus, quòd non præstiterimus, quæ iureiurando polliciti fuimus, contendemus nos non peieraſſe, quandoquidem ea nunquam fuerit animi nostri sententia. nam iniuria uoluntaria est: quòd uerò quis ui, & in fraudem deductus facit, non est iniuria. atque hinc colligendum est, quid sit periurium, quòd scilicet tunc existat, cùm non ore; sed mente confirmatur, ut fallendi adfuerit consilium. Sin ab aduersario iuratum sit, qui quod iureiurando promisit, non præstiterit, tunc iudices appellando dicemus, illum omnia iura euertere, ac perturbare, qui non præstat, quæ iurauit. propterea & qui utuntur legibus, ideo ipsis

Si aduersarium iurare uoluerimus.

Cõtrouersiæ duæ postquam iuratum est.

Si a nobis iuratũ sit.

Quid periurium sit

Si ab aduersario iuratum.

tur, quia in ipsis iurati, & ad ipsas obseruandas deuincti sunt. ac uos quidem iudices arbitramur stare debere his legibus, in quas iurati estis, nos autem ijs, quibus iureiurando astricti sumus, non stabimus? hæc, & quæuis huiuscemodi alia afferri poterunt, quibus quis amplificando uteretur. Sed quia, dum uirides fluminum ripas, culta rura, magnificas uillas peragramus, satis multa diximus, uideoq; te à tuis æqualibus expectari; finem faciemus ambulandi, & loquendi. Tu interea memoria custodi hæc, quæ recensuimus enthymemata, seu materiam, ex qua (ut fides auditori fiat, in singulis causis forensibus argumentari ualeas. Quæ uerò spectant ad eundem commouendum, & nobis conciliandum, ac simul omnia, quæ ad dicendum affert orator, cras prosequemur.

Iacobi

IACOBI BROCARDI PARTITIONUM Rhetoricorum Aristotelis, Ad Petrum Andream Codegorum Ferrariensem.

Dialogus secundus secundo Aristotelis libro respondens.

IACOBVS PISANVS.

VONIAM heri de rebus utilibus, iustis, & honestis, magnis, & paruis; item de his, quæ artis dicuntur expertia egisti, sequi uidetur, ut exponas illa, quæ fieri possunt, quæ facta, quæq; futura uideantur. I. B. Loco tu quidem quæris; sed quia hîc fines generum causarum maximè persecuti sumus, atque iudicium in omnibus causis finis est, quo iudex causam nobis adiudicaturus sit, non solùm argumentis adductus; sed etiam quadam permotione animi impulsus: ita quoque diuisimus argumentationem, ut altera spectaret directò ad fidem, altera se inflecteret ad motum, & animi conciliationem. Atque materiam prioris argumentationis cõplexi sumus, illa uerò

Tria esse quibus auditor causam adiudicat.

Argumentum.

Conciliatio.

quæ requiris, cùm uideantur loci esse cõmunes, qui deinceps sint exponẽdi; per cõmodè ea nũc cõsiderabũtur, p quæ auditor, et inclinatione uoluntatis propendeat in nos, et permotione animi cogatur. nã utrunq; plurimũ ualet, et in iudicijs, et in deliberationibus, quãuis illud utilius sit in deliberationibus: hoc in iudicijs. Itaq; præteroratione, quæ est quæstionis, & argumẽtationis propria, ut orator fide dignus sit, tria omnino in ipso desiderãtur: ut prudens, ut bonus uir, ut beneuolus existimetur. potest.n. quis prudens esse: sed propter improbitatẽ, quæ rectè sentit, non aperire; aut rectè quidẽ sentire, et probata esse uita, nec tamẽ propter eius à nobis alienum animũ, quæ potiora nouit, uelle apud nos depromere. uerùm ut quis prudẽs, et probus uideri possit, quò sibi eos, qui audiunt, cõciliet, ex ijs sumendum est, quæ in diuisione uirtutum diximus. de beneuolentia autem, ac pariter de cæteris animi motibus, quò animi etiã cõmoueantur, nũc agamus. I. P. Quos uocas motus? I. B. Irã, misericordiam, timorẽ, & talia. I. P. Quid dicis esse huiusce modi motus? I. B. Cõmutationes animi, quibus in iudicando homines fiunt uarij, quasq; sequitur dolor, & uoluptas. I. P. Quosnã maximè pertractat orator, & qũo eos distinguis? I. B. Irã, & clementiam; amorẽ, et odiũ; timorẽ, et fidentiam; uerecundiam, et impudentiã; gratuita, et non gratuita; mi-

Permotio

De conciliatione, quæ tribus rebus efficitur.

Prudentia

Probitas.

Beneuolẽtia.

De permotione animorum.

seri-

ſericordiã, et quod dicitur ſuccenſere; inuidiã, & emulationẽ. Atq; in ſingulis tria ſunt quærẽda. ut exẽpli cauſa in ira, quibus de cauſis iraſcãtur homines, qũo affecti ſint iracundi, et quibus ſoleant iraſci. I.P. Si de iracundia prius uidetur dicendũ, quoniã is uehemẽtiſsimus motus eſt, expone quænam irã concitent. I B. Ex definitione iræ id patere poteſt. eſt.n. ira cupiditas cum dolore eius puniẽdi, de quo pœna uideatur ſumi poſſe, propterea q, uiſus ſit contempſiſſe in ijs, quæ in nos, aut in noſtrorũ aliquem, contrâ ac decet, admiſit. Cauſa itaq; iræ eſt contemptio. contemptionis uerò tria ſunt genera, propter quæ ſolemus iraſci: deſpicientia, qua quis ita contẽnitur, ut pro nihilo putetur; uexatio, ſeu incõmodatio, qua ita aduerſamur ſtudio alicuius, nõ ut inde nobis quid accedat; ſed tãtũmodo ne ille quod ſtudet, cõſequatur: et cõtumelia, cuius quidẽ eſt lædere, et dolore his in rebus afficere, quæ patienti dedecori ſint. nec qui cõtumelias imponit, ſtudet, ut ſibi præter alterius dedecus aliquid contingat; ſed ut uoluptatẽ capiat: nec dicendum eſt eum par pari referre. qui.n. id agũt, non faciunt contumeliã; ſed ulciſcuntur. Cauſa uerò uoluptatis contumelioſorũ eſt, q, putãt malè agendo ſe magis excellere. propterea iuuenes, et diuites contumelioſi ſunt. eſt itẽ cauſa iræ, cùm quid in nos, contrà ac decet, admittitur; & cùm uide-

Tria in ſingulis motibus ſpectãda.

De Ira.

Quid Ira ſit.

Cauſæ Irę Contemptionis tria genera.

Deſpicientia.

Incommodatio.

Contumelia.

mus nos non magni fieri ab ijs, quibus plurimùm præstare uidemur, nec ab amicis, in quos à nobis beneficia aliqua profecta sunt, aut proficiscuntur; aut noster animus uisus sit propensus, & paratus ad bene promerendum. I. P. *Iratus, uerò quomodo inuenitur affectus?* I. B. *Iratus & uoluptate propter spem puniendi, & dolore propter contemptionem inuenitur affectus. & quoniam qui dolet, aliquid appetit, contra omnes accenditur; qui ne, quæ cupit, consequatur, quauis ratione impedimento sunt, aut adiumento non curant esse: ut qui morbo laborat, pauper, amator, sitiens, & alij. atque de qualibet re quisq; irascitur, quam concupiscens non obtinuerit. exacerbatur quoque animus, cum contraria ijs, quæ expectabamus, eueniunt. tempora præterea, & occasiones faciunt, ut interdum exacerbetur animus. inueniunturq; qui facilè ob quædam sua studia irascantur. & ætas non rarò facit feruidiores. Consideret iam orator quid quisque sentiat, uelit, per se cupiat, per se commotus sit, ut adhuc magis exacerbetur; & quomodo efficere possit, ut cupiat, & irascatur.* I. B. *Quibus iam solemus irasci?* I. P. *Irascimur semper alicui uni ex singulis separatim: ut Cleoni, non autem homini generatim; qui aliquid in nos, aut in nostrorum aliquem admiserit, uel admissurus sit. propterea*

Qui irascitur, quomodo sit affectus.

Quibus solent irasci homines.

pterea iraſcimur ijs, qui deridẽt, deludunt, cauillantur, dicta in nos iaciunt: qui nocent contumeliæ cauſa: qui detrahunt, contemnuntq; illa, quorum ſtudioſi ſumus, ut Philoſophiam, ſi in ea laudem habere ſtudemus: qui cùm debent bona præſtare, mala inferunt, ut amici: qui nos ea non proſequuntur beneuolentia, & cultu, quo conſueuerunt: qui non referunt parem gratiam: qui contrà ſe gerunt nobiſcum, ac nos cum illis geſſimus, ſi inferiores fuerint: qui amici cùm ſint, non bene faciunt, ac dicunt, ſeu contrà agunt: qui non animaduertunt, quibus rebus egeamus: qui gaudent rebus ex ſententia non ſuccedentibus: quos nulla cura tangit, ſi dolorem intulerint: qui mala nuntiant: qui auditores, aut ſpectatores ſe prebent noſtrorum incõmodorum: qui nos parui faciunt apud eos, aut cum quibus nobis eſt contentio de honore, exiſtimatione, & gloria; aut quos ipſi admiramur, aut quibus admirationi eſſe uolumus; aut quos ueremur, aut qui nos uerentur: qui his in rebus nos contemnũt, in quibus dedecus, aut infamia ſubeunda ſit, ni opem, & auxilium ferant, ut ſunt parentes, liberi, coniuges, & qui alterius imperio addicti ſunt: qui ingrati inueniuntur eſſe: qui utuntur ironia, dum ſeriò agimus: qui erga alios ſunt beneſici, ac minimè erga nos: qui nos, noſtraq; ob-

liuiſcuntur. unde & obliuio eſt cauſa iræ, q̃ uidea tur ab incuria proficiſci. Omnes uerò ij, quibus iraſcimur, uidentur contemnere, ac qui iraſcuntur, contemni. Orator ergo oſtendat reos ſimiles ijs, quibus iraſcimur, & auditores ita afficiat, ac ſunt ij, qui ira affecti inueniuntur. I. P. *Die de ea animi affectione, quæ eſt iræ contraria.* I. B. *Clementia ea erit. quæ eſt moderatio concitati animi, & ſedatio iræ, in qua illa aberunt, quæ diximus in definitione iræ, nec uidebimur contemni, nec quicquam pati, quod non deceat; ſed plurimi fieri, & honore dignari. ut enim illa erant cauſæ iræ, ita hæc clementiæ. Itaque erga illos clementer nos gerimus, qui nihil per contemptionem uidentur facere, aut non libentes: qui contraria ijs, quæ fecerunt, uolunt: qui tales erga nos, quales erga ſe ipſos exiſtunt: qui errata fatentur: qui ſe nobis ſummiſſos, & humiles præbẽt, nec contradicunt: qui ſeria nobiſcum agunt, dum ſeria nos agimus, ac uolumus: qui maiora gratificati ſunt, quàm quæ ſibi condonarentur: qui rogant, & deprecantur: qui nemini contumeliam faciunt, neminem illudunt, ac cauillantur: quos timemus, ac reueremur: qui nos reuerentur: qui per iram aliquid fecerunt. Miti uerò, ac manſueto ſolemus eſſe animo, dum iucunditatem percipimus ex luſionibus, iocis, riſu, diebus feſtis, ſolemnibuſq̃, die-*

De clemẽtia quid ſit.

Erga quos ſumus clementes.

Qui clementes ſunt, quomodo affecti ſint.

diebus ludorum, rebus rectè effectis, feliciter gestis, exitum optatum habentibus, perfectis, expletisq; omnibus suis numeris, ac partibus. atq; omnino dum sine dolore sumus, uerùm contrâ in uoluptate, quæ ex nulla contumelia percipiatur, & in spe eorũ, quæ honesta, quæ decora, quæ bona sint. Ab ira quoq; ad clementiam reuocamur, cùm ira uetus, nec recens sit: cùm in alium prius sit effusa: cùm illos uidemus circumueniri, quibus irati fuimus; aut comprehensos teneri, ut pœnas effugere non ualeant; cùm maiora damna passi sunt, quàm nos irati intulissemus: & cùm arbitramur nos iniustè egisse: & cùm putamus alios non sensuros se nobis punientibus pati. ideo nec sensu carentibus irascimur, nec ultra ijs, qui è uita excesserunt; nec ijs, qui neq; dolituri, neq; sensuri sint. His igitur locis orator ad clementiam auditores deducat: & quos defendit, similes his ostẽdat, erga quos clemẽter nos gerimus. I. P. Amicitiam uerò quænam gignunt, quomodo affecti sunt amici, & quos amare solemus? I. B. Si amare est uelle alicui ea adesse, quæ bona arbitramur, idq; non nostra; sed ipsius gratia, & quoad possumus, efficere, ut illa consequatur; amicus uerò est, qui amat, & ut ita dicam, redamatur; efficientia amicitiæ erunt, si uideberis gratuitò, & non rogatus, atque nulla alia, nisi eius, cui benefeceris causa, bene-

Quæ ab ira ad clementiam deducant.

De Amicitia.

Causæ amicitiæ.

beneficium dediſſe, & poſtquam dederis, non prædicare. neceſsitudo præterea, quæ aliquos coniungit, cauſa eſt amicitiæ, ut ſodalitas, familiaritas, affinitas, cognatio, & quæ ſunt talia.

Qui amat quomodo affectus.

Amicus uerò ita affectus eſt, ut pariter bonis lætetur amici, & doleat contrarijs, non alia, quàm illius cauſa: unde dolor, & uoluptas uoluntatis ſigna ſunt. itẽ amicis eadem bona, & mala uidẽtur cõtingere. & qui amici inter ſe ſunt, ijſdẽ uidẽtur eſſe amici, et ijſdẽ inimici: & eoſdẽ habent amicos, eoſdemq; inimicos: & eadẽ amico, quæ ſibi uolunt.

Quos amare ſolemus.

Amamus autem eos, qui aut nobis, aut noſtris, hisq; noſtra cauſa beneficia præſtiterunt, uel magna, uel alacri, promptoq; animo, uel ijs temporibus, quibus præmebat neceſsitas; uel præſtare uoluerunt. amamus amicorum amicos: amantes eos, quos ipſi amamus: amatos ab ijs, qui à nobis amantur: inimicos eorum, quibus & nos inimici ſumus: eos, qui oderunt, quos ipſi odio proſequimur: eos, qui in odio ſunt apud hos, qui nobis in odio ſunt. Amamus liberales, & fortes, quia amantur benefici: & iuſtos, & temperantes, & non curioſos, illa enim non conquirunt, nec agunt, quæ ſunt præter negotia ſua: eos, quibus uolumus amici eſſe, ſi itidem ipſi uelle uideantur, ſintq; ij probati uiri: eos, quorum mores faciles ſunt, & uſus iucundus: facetos, & urbanos: laudantes

dantes quæ in nobis sunt bona: elegantes ore, uestitu, totaq; uita: eos, qui neque aliorum uitia, neq; sua beneficia consueuerunt exprobrare: eos, qui facilè placantur, & reconciliantur: eos, qui mala proximorum nec dicere, nec scire curant: eos, qui nec aliorum studijs se opponunt, nec pugnaces sunt: studiosos nostri, nostrarumq; rerũ, atque fautores: eos, qui nobis similes sunt, eidemq; rei, & arti, cui nos, student, ni tamen sint nobis impedimento: eos, qui earundem rerum cupidi sunt, modo simul illas consequi liceat: eos, cum quibus ea nobis ratio intercedit, ut non uereamur illa agere, & loqui, quæ alioqui apud alios existimationem imminuerẽt: eos, apud quos ueremur, ne ueri uideamur; siue apud quos erubescimus, dum admissa à nobis detegũtur; atque alij, quàm habebamur, inuenimur esse: eos, àquibus nos, nostraq; laudari studemus, & quos nostri æmulos, atque imitatores uolumus esse, non autem inuidos; eos, quibus auxilio essemus ad bona aliqua obtinenda, ni maiora nobis inde imminerent mala: eos qui æquè absentes, ac præsentes amant, quiq; etiam in mortuos eandem retinent beneuolentiam: eos, qui amicorum studiosi sunt, illosq; non deserunt, quiq; bene, integreq; se in amicitijs gerunt: eos, qui apud nos nil ficte, nil simulatè agunt: eos, qui non uerentur

sua etiam uitia, & incommoda nobis aperire: eos tandem, quos non timemus, quibusq; confidimus.

De odio.

I. P. *Quid habes de his, quæ amori, & amicitiæ sunt contraria dicere?* I. B. *Odium, offensio, & inimicitia ex contrarijs facilè animaduerti possunt. Sed illud cognoscendum est, iram efficientem esse inimicitiæ: atque, ut uexatio, & calumnia iram, ita etiam odium, & inimicitiam pariunt. uerùm quia & iratus, & inimicus ei, cui iratus, & inimicus est, mala cupit; uidẽdum est,*

Iræ, & odii discrimen.

ne idem esse putemus iram, & odium. poterit enim quis esse inimicus, qui non fuerit iratus. nam ira existit, cùm quid contra nos sit admissum; inimicitia, & odium etiam cùm contra nos nil sit commissum. ira effertur in singulos, ut in Calliam, odium etiam in certa hominum genera, ut in fures. ira tempore sanari potest, non autem odium. ira cupit inurere dolorem, odium afflictam magis, atque etiam extremam adesse fortunam. iratus uult dolorem à se illatum sentiri: in eo, qui odit, nihil refert à quo uexetur is, quem odit. ira est cum dolore; odium sine dolore. Ex his igitur locis poterit quis & amicus, & inimicus ostendi; & iudex uel ad iram, & odium excitari, uel ad lenitatem reuocari. I. P. *Dic de timore, & fidentia.*

De Timore.

I. B. *Timor est quidam animi acerbus sensus, uel perturbatio, quòd malum*

aliquod, aut exitium, aut dolorem afferens, im-
minere uideatur. quæ igitur mala remota non
ſunt, ut mors, de qua homines ſoliciti non ſunt,
quòd eam procul abeße arbitrantur; ſed pro-
pius adeſſe, atque adeo inſtare uidentur, timo-
rem efficiunt; ſiquidem uidebuntur interitum,
aut detrimentum cum ſummo dolore afferre: i-
dem horum malorum ſigna, quæ periculum ha-
bent: inimicitia, & ira eorum, qui officere poſ-
ſunt: iniuſtitia uiribus armata: uirtus contumeliis
prouocata: timor eorũ, qui officere poßunt, quòd
ad nocendum parati uideantur. Illa item maximũ
excutiunt timorem, quæ cùm ſint admiſſa, emenda
ri, corrigiq; non poſſunt; uel id non in noſtra, ſed
in aduerſariorum ſitum ſit poteſtate: et in quibus
nullam opem, nullum auxiliũ inuenire poſſumus,
uel non facilè. Timentur autem illi, in quorum po
teſtate, & arbitrio ſentimus nos, & ſalutem no-
ſtram ſitam eſſe: qui poßunt nos, aut in periculis
deſerere, aut propter auaritiam perdere: qui ad
hunt conſcij noſtri facinoris: qui poßunt iniuriam
apponere, aut iã impoſuerunt: quòd tunc, dum ſi-
bi cauent, parati ſint ad cumulandas iniurias:
qui à nobis aut ſint, aut putent ſe iniuria eſſe af-
fectos: qui in rebus aliquibus ſe aduerſarios in-
dunt: qui à melioribus, quàm nos ſimus timẽ
tur: qui maiori ui pollent: qui nobis potiores inte
remerunt:

Quæ timorem efficiant.

Qui timeri ſoleant.

remerunt : qui nobis inferiores insultant. posse enim & nos quoque inuadere : qui non subita ir efferuescunt, nec liberè, apertéq;, sed placato an mo dissimulanter, ueteratorieq; agunt. Qui ue

Qui timere soleant.

timent, ita affecti sunt, ut metuant, aut se al quid perpessuros, aut à quibus aliquod malum se proficisci possit, aut tunc, cùm se passuros ar bitrantur. qui iam in florenti, præstantiq; for tuna sunt, non putant se passuros, ac contrà, fiu contemptores, audaces, & contumelioſi : nec q se ad extrema deuenisse sentiunt, spemq; omne sibi præcisam uident euadendi : ut qui iam sup plicia perferunt. nam ubi metus est, adest spe euadendi, & inducimur ad consilium capiendum ubi uerò res desperatæ sunt, nemo consultat. An mi itaque iudicum, si conducet illos in timore impelli, ita tractandi sunt, ut reddantur simile ijs, qui se pati posse credant. & afferenda sun exempla eorum, qui tali in re perpessi sint, o à quibus, & illa, & tunc, cùm non putabant.

De Fidentia.

Fidentia uerò quid sit, & quænam eam afferan & quomodo affecti sint fidentes ex ijs, quæ co traria sunt timori cognoscere licet. Est enim fi

Quid sit fidentia.

dentia spes cum firma animi fiducia breui res se lutares assequendi, ijs, quæ timorem faciunt, u

Quæ afferant fiduciam.

nullis se ostendentibus, uel procul remotis. Erg illa afferunt fiduciam, à quibus mala grauia pr

cul absunt: & quæ corrigi, emendariq; possunt: & auxilia uel multa, uel magna, uel utrunque: & uidere nos nec iniuria affeciſſe, nec ea esse affectos: & non habere cum quibus contendendum, certandumq; sit; uel si sint, uires non habeant, uel si habent, sint amici, uel benemeriti, uel beneficio affecti: uel si nobiscum complures conspirent, aut potiores, aut utrique. Sunt uerò fidentes, qui ita affecti sunt, ut non experti arbitrentur sibi multa prosperè euenisse, nilq; aduersi pertulisse: ut auxilia habentes, sentiant se è periculis euasisse: ut uideant quidpiam non esse formidolosum ijs, qui sibi similes, paresq; sunt; neque inferioribus sibi; neque ijs, quibus se præstare arbitrantur: ut existiment plura sibi, & maiora adesse adiumenta, quàm aduersarijs, ut pecuniarum, opum, uirium, & illorum omnium, uel maximorum, quibus bellici apparatus continentur: ut cognoscant se uel neminem, uel non multos, uel eos, qui timidi sunt, affeciſſe iniuria: ut arbitrentur res diuinas sibi fauere, etiam signa, & oracula fausta denuntiantia. Ira præterea eorum, qui iniuria affecti sunt, excitat ad audendum animos: & illa opinio, qua Deus existimetur opem ferre iniuria affectis: & cùm consilia aduersariorum præripiuntur: & cùm priores aduersarios adorimur, ac nos nec tunc, nec deinceps paßuros; uel

Qui sint fidentes.

uel ex animi ſententia rem confecturos arbitra-
mur. I. P. Cognoui hæc, requiro iam quænam ue-
reamur, apud quos, & quomodo affecti, & iti-
dem de impudentia. I. B. Si uerecundia eſt dolor
De Vere-cundia. quidam, & animi commotio ob aliqua mala, quæ
iam adſint, uel fuerint, uel futura ſint, quæ no-
bis dedecus afferre uideantur: impudentia uerò
qua contemnuntur, nec ſentiuntur illa, quæ ani-
Quæ eru-beſcimus. mus patitur, cùm erubeſcimus; neceſſe eſt, ut eo-
rum malorum nos pudeat, quæ nobis, uel ijs, qui
nobis curæ ſunt, dedecori eſſe uideantur. Sunt ue-
rò hæc mala actiones, quæ è uitijs oriuntur: ut
abijcere ſcutum, fugere, quòd à timiditate; non
reddere depoſitum, quòd ab iniuſtitia; commi-
ſcere ſe cum quibus, & ubi, & quando non opor-
tet, quòd ab intemperantia; lucrari à paruis,
ſordidis, impotentibus, uti à pauperibus, aut à
mortuis, quòd ab auaritia proficiſcatur. Illa
item ruborem faciunt, ei, qui opis indigeat, non
ſubuenire, aut parum: iuuari ab ijs, qui minus
opibus affluunt: mutuari cùm petere, petere cùm
exigere, exigere cùm petere uidearis: laudare,
ut petere intelligaris: inſtare nihilominus cùm re
pulſam tuleris: quæ quidem ſigna ſunt illiberali-
tatis. laudare præſentem: bona coràm nimium
extollere: & mala attenuare: in dolore alicuius
uehementius afflictari: quæ ſigna ſunt adulatio-

nis.

nis. non sustinere labores, quos seniores, delicatiores, impotentes sustinent: ab alio beneficium accipere, idq; sæpius: beneficia collata exprobrare: quæ signa sunt parui, augusti, & abiecti animi. de se prædicare, polliceri, aliena sua affirmare: quæ sunt hominis glorioſi. Sunt item dedecori, quæ ex cæteris sigillatim morum uitijs extant actiones, & quæ ipsorum uitiorum signa sunt, & quæ similes aliquos ostendunt illis, qui aliquibus uitijs dedecus afferentibus sunt affecti. Pudet similiter nos nullam partẽ attingere eorum, quorũ omnes, uel plures, uel similes sunt participes, ac maximè quidem si id nostra causa eueniat. atque hæc quidem sunt, quæ agendo, & prætermittendo nos pudet. quæ uerò patiendo erubescimus, sunt pati, esse passum, passurum esse, quæ probrum afferant. ut cùm quis ad eum corporis famulatum, uel rerum indignarum actor, ac minister inducitur, in quibus contumelias pati contingat: cùm subit contumelias libidinis, ac intemperantiæ alicuius cùm uim patitur. Sunt hæc quidem, in quibus erubescimus, ueremur uerò illos (quoniam animus in uerecundia commouetur propter eos, qui iudicant) quorum existimamus rationem esse habendam: qui nos admirantur; quos nos admiramur: quos uolumus, ut nos admirentur: cum quibus nobis est de honore

Quos ueremur quomodo affecti.

contentio: quorum opinionem, qualiſcunque de nobis ſit, non contemnimus: qui nobiſcum ſemper futuri ſunt: qui nos, uitamq; noſtram obſeruant: qui eodem quo nos non ſunt aſtricti uitio: qui non ignoſcunt: qui quæ cognouerunt, renuntiare ſolent: qui maledici ſunt: qui aliorum peccata indagare, arguere, & irridere ſolent: qui nobis antea ſemper gratificati ſunt: qui primo aliquid à nobis petierunt. illi item, cum quibus nobis antiquus interceſſit uſus: qui nullius noſtri delicti ſunt conſcij: quos ſcimus ijs, quos ueremur renuntiaturos; ut miniſtros, amicos. Illos uerò non ueremur, per quos ueritas non uidetur patefieri; ut belluas, ac pueros. ac notos quidem ueremur ne ueritas de nobis patefiat, ignotos uerò ne mala de nobis ad illos fama perueniat. Verecundia autem afficimur, cùm aliqui ita ſe habent erga nos, ut eos ſe habere diximus, quos ueremur: & maximè quidem qui nos, noſtraq; intuentur: & qui cito, atque ſtatim, uel etiam aliquando ſunt animaduerſuri. afficimur etiam uerecundia, ſi in aduerſa fortuna conſpicimur ab ijs, qui aliquando noſtri fuerunt æmulatores: & ſi operæ, reſq; noſtræ geſtæ, aut aliquorum, quorum cauſa uerecundamur, habeant aliquid dignum pudore: ſi dum digna pudore agimus, interueniant aliqui, quibus nobis ſit de honore contentio:

Qui uerecundia afficiantur.

gentio : ſi alicuius facinoris rei conſpiciendi, & puniendi tradamur. Quæ autem ad Impudentiam ſpectant, ex ijs, quæ uerecundiæ contraria ſunt, facilè animaduerti poſſunt. I. P. *Quibus uerò gratificamur? & quæ, & quomodo affecti?* I. B. *Si Gratia eſt gratis indigenti impartire, non ut gratia referatur, nec merces beneficij perſoluatur; ſed ut commodum ei, cui benefit, pariatur; Gratuita erunt, quæ indigenti, & cum dolore appetenti, tribuuntur, uel magna, & difficilia, uel ijs temporibus, quibus premebat neceſſitas, uel ſiquis ſolus, uel primus, uel potiſſimùm ſubuenerit. Illis iam gratificamur, qui uidentur maximè indigere, & cum dolore appetere. ut qui amant, qui ſunt in periculis, qui in paupertate, in exilio, aut in quacunque inopia. Atque nos uidemur gratificari cùm indigentiæ benignè ſubuenimus, opem aliquam ferendo. Contrà uerò non erit gratia, ſiquis neceſſitate, caſu, ſua ipſius gratia, reddens, non dans beneficium, nobis commodauerit. Conſiderandum præterea eſt, quid datum ſit, quantum, quale, quo tempore, ubi; ut gratia, aut non gratia uideatur. Signum autem non gratuiti animi eſt, aliàs minora, quàm nunc quis dat, dare recuſauiſſe: uel inimicis eadem, aut paria, aut maiora dediſſe: uel illa, quæ mala cognouerit.* I. P. *Doce iam, quibus rebus miſe-*

De Impudentia.

De Gratificatione.

Quæ gratuita ſint.

Quibus gratificamur.

Qui gratũ faciant.

Animus gratuitus.

De Miſericordia.

ricordia moueamur, quibus misereamur, & quo modo affecti. I. B. Si misericordia est dolor quidam ex conspicuo alicuius indignè patientis malo, pernitiem, & grauia, tristiaq; inferente, q; is, qui miseretur, se quoque aut suorum aliquem pati posse putet; Miserabilia erunt omnia acerba, & tristia, calamitates, erumnas, interitum, exitiumq; afferentia. ut mors, uerbera, uexatio, cruciatus corporis, senectus, morbi, uictus inopia: illa quorum fortuna causa est, ut amicos non habere, ab illis diuelli, corporis deformitas, imbecillitas, offensiones: mala unde bona expectabantur: bona, quibus frui non contigerit, & quæ sunt talia. Miseremur uerò illorum, cum quibus nobis usus aliquis est, & consuetudo, non tamen sint ualde propinqui, ac necessarij. tunc enim dolor est grauior: quibus aliquod graue malum imminet, ac propè adest: qui nobis similes sunt ætate, moribus, studijs, dignitate, genere. quæ enim illis, eadem nobis euenire possunt. ac generatim illorum miseremur, quorum mala ne nobis contingant, timemus. atque miserabiliores uidentur, qui gestu, uoce, uestitu, tota denique actione patientes inducuntur. tunc enim malum conspicuum magis uidetur. Ita uerò affecti sumus cùm misericordia tangimur, ut putemus nos quoque, aut nostros pati posse idem malum,

Quid misericordia sit.

Quæ sint miserabilia.

Quorum miseremur.

Qui misereatur quo modo affecti.

um, aut ſimile, quo alium premi uidemus. ac
lli ſe pati poſſe putant, qui paſsi ſunt, atque eua
erunt: & ſenes, qui & prudentes, & experti
int: & imbecilles: & timidi nimium: & pe=
iti: & quibus ſunt parentes, filij, uxor: qui
putant eos, qui patiuntur, uiros bonos eſſe. Illi
uerò non ſunt miſericordes, quorum res deſpera=
æ ſunt, quòd nihil ultra ſe pati poſſe putent: &
quorum florens fortuna eſt, quòd contumelioſi
potius ſint, nec ullum malum ſibi iam continge=
re credant: nec illi item, qui uehementi aliqua
perturbatione, ut ira efferueſcunt, aut robuſta
affectione, ut confidentia, inſultant audacius. hæc
enim non ſinunt euentus prouidere, & expende=
re: nec qui in contumelijs inferendis delectantur,
quòd nil ſe paſſuros putent. Sed illi miſerentur,
qui medij inter hos ſunt. qui animis nec nimium
inſultant, nec nimium deijciuntur: nec qui uehe=
mentius terrentur, quòd propria diſtineantur
perturbatione. atque omnino tandem miſeren=
tur, qui meminerint eadem, quæ in alijs mala cer
nunt, uel ſibi, uel ſuis contigiſſe, ac timeant ne
denuo contingant. I. P. Miſerationi quid oppo=
nitur? I. B. Id quod dicitur Succenſere, & item
Inuidia. ut enim in miſeratione dolemus, ob eius,
qui immerito patitur res aduerſas: ita cùm ſuc=
cenſemus, dolemus, quòd ad indignos res ſecun=

Miſericor des qui nô ſint.

Miſericor des qui.

De duob. contrariis miſeratio=ni.

Succenſe=re, & Inui=dere quid differant.

dæ delatæ ſint. qui uerò inuidet, dolet quoque ob res alterius ſecundas, non quidem quòd indignus illas conſecutus ſit, quod facit is, qui ſuccenſet; ſed quòd par ac ſimilis. diſcrimen quoque horum ex affectionibus contrarijs cognoſcitur. qui enim miſeretur eorum, qui immeritò affliguntur, gaudebit, aut ſine dolore erit, ſi, qui meriti ſunt, affliguntur. quiq; ſuccenſet indignis res ſecundas contingere, gaudebit item dignis ſecundam aſpirare fortunam. inuidus uerò ut dolet ob res alterius ſecundas, ita gaudebit ob aduerſas: idq; non ut iniuſtitia aliqua puniatur; ſed quòd alterius delectetur incommodis. eſtq; is natura malus, ut boni, & iuſti illi, qui dolent, cùm quid præter dignitatem fit. Cùm hæc ita differant, ad miſericordiam tollendam & quæ ijs, qui inuident; & quæ ijs, qui ſuccenſent, incidunt; item quæ diximus facere, ut is qui inuidet, ut is, qui ſuccenſet, ut is, qui miſeretur, gaudeat, omnia pariter ſunt utilia. Sed iam dicamus, quas ob res & quomodo affecti ſuccenſeamus, & quibus indignemur: deinde de Inuidia agemus. Succenſemus iam non propter omnia bona, ut ſiquis aliqua ſit uirtute præditus, ueluti iuſtitia, fortitudine, aut aliqua naturæ bona habeat, ut nobilitatem, & pulchritudinem; ſed quæ diuitijs, potentia, & huiuſmodi rebus continentur. Illis uerò

Quas ob res ſolemus ſuccenſere.

Quibus ſolemus ſuccenſere.

rò ſuccenſemus magis, qui hæc bona nuper conſecuti ſunt, quàm quibus olim illa obuenerunt, ut qui nuper ditati ſunt, nuper potentiam ſunt conſecuti, multitudinem amicorum, bonam prolem, & talia, atque ſi propter hæc aliquod aliud præterea nanciſcuntur bonum. nam illi maiorem dolorem inurunt, qui nuper locupletes facti propter diuitias imperant, quàm qui bonis temporibus diuites fuerunt. idemq; de reliquis bonis cenſeas. hi enim ſua uidentur obtinere, illi uerò in aliena irrepſiſſe. deinde eſt & illa cauſa, quòd quiuis non cenſetur dignus quolibet bono. & propterea ſuccenſemus ijs, qui, quæ ſe non decent, conſequuntur; & qui cum melioribus in comparationem, contentionemq; ueniunt. Cùm uerò ſuccenſemus, ita inuenimur affecti, ut indignemur, ſi minimè nos digni; ſed indigni bona conſequuntur: ſi uidebimur & boni, & ſtudioſi eſſe. tunc enim rectè iudicamus, & quod iuſtum eſt odimus: ſi ambitioſi, & cupidi honorum, munerumq; fuerimus, atque hæc ad indignos deferantur. iccirco mancipia, mali uiri, qui ambitioſi non ſunt, non indignantur: quòd ſe bonis, quæ æmulamur, dignos non iudicent. ex his iam poterimus oſtendere aliquos eſſe indignos, quibus miſericordia tribuatur. I. P. Inuidia quomodo amouebimus itẽ miſericordiam? I. B. Iudices faciendo ſimiles ijs,

Quomodo affecti qui ſuccenſent.

De Inuidia.

qui inuident, reos ijs, quibus inuidetur. I. P. Expone hæc quoque, & quænam inuidiam pariant.

Quid sit Inuidia.

I. B. Si Inuidia est dolor quidam ex rebus alterius secundis susceptus, quòd bona, quæ diximus, ad eos uideantur delata, qui nobis pares, ac similes sint, non aliqua nostra causa; sed propter alterius, quam ægrè ferimus secundam fortunam; bona illa commemorata inuidiam gignent: item illæ res, & opera, in quibus excellere studemus, de quibus cum alijs est contentio, propter quæ gloriam, & honorem appetimus: quæcunque fuerit secunda fortuna: quæcunque bona homines appetunt: copiæ, quibus uel alios parum uincimus, uel ab alijs parum superamur. Illis autem solemus inuidere, qui nobis proximi sunt tempore, loco, ætate, dignitate: & cum quibus nobis de honore, & gloria est contentio. ut cum proximis tempore, loco, ætate, dignitate: & aduersarijs: & riualibus, & omnino eadem quæ nos cupientibus: & celeriter peruenientibus ad illa bona, quæ nos uix, aut nunquàm consequi potuimus: & ijs, quos ad aliena bona peruenisse, aut aliquid rectè, prosperéq; effecisse nobis dedecus sit, ueluti ad quos earundem rerum laus, & utilitas alioqui peruenire quoque potuisset. id enim dolorem facit, ex dolore uerò oritur inuidia: & ijs, qui illa habent, quæ nos par sit possidere;

Quæ gignunt Inuidiam.

Quibus solemus inuidere.

aut

aliquando possederimus. iccirco seniores inuident iunioribus: & ijs, qui modica insumunt in his rebus, in quibus nos magnos sumptus fecimus. Qui procliuiores ad inuidiam esse solent, tum afficiuntur inuidia, cùm uident aliquos sibi esse pares, & similes. ut cognatione, ætate, studijs, dignitate, diuitijs: & cùm parum deest, quin sibi omnia bona adsint: & cũ res magnas gerunt: et cùm omnia sibi prosperè procedunt. tunc enim sua arbitrantur sibi auferri: et cùm excellunt aliquo laudis genere. ut sapientia, uel beata fruuntur uita: & ambitiosi maximè inuidi sunt: & qui uideri sapientes uolunt: & qui paruo animo sunt, quibus omnia uidentur magna: & omnino cuius rei quis laudem uenatur, ciusdem etiam inuidus inuenitur esse. Ac non solum ex his misericordiam tolles; sed etiam ex horum contrarijs, uidelicet ex rebus aduersis, quibus inuidos, & maleuolos diximus gaudere.

Qui ad inuidiam procliuiores.

I. P. *Sequitur ut de æmulatione dicas.* I. B. *Vt inuidia mala est, & malorum, qui contendunt, ne alij bona obtineant: ita æmulatio est bona, & bonorum, qui se ad bona consequenda comparant. Est autem æmulatio dolor quidam ex laudatis bonis susceptus, quæ ijs, qui nobis natura similes sunt, adesse uidentur, quæq; ut assequamur nobis quoq; potest contingere, nõ quòd alijs; sed q, nobis quoq; non adsint. Bona iã quæ æmulamur sunt uirtutes:*

De Aemulatione.

Quid sit Aemulatio.

Bona quæ æmulamur.

&

& quæcunque utilitatem, & beneficentiam alijs præstant: & quæcunque bona, quibus alijs quoq; frui licet; ut diuitiæ. & propter eam causam magis pulchritudo, quàm sanitas. Aemulamur autem eos, qui laudabilia bona obtinent; ut fortitudinem, sapientiam, principatum: qui præditi sunt aliqua potestate, & facultate; ut duces, & oratores: quibus multi student consuetudinem, familiaritatem, & amicitiam coniungere: quos multi admirantur: quos maximè suspiciendos arbitramur: quorum laudes celebrantur: qui præconio poetarum, oratorum, historicorum immortalitati commendantur. Aemulatores autem illi sunt, qui se insinuant in ea bona, quibus carent, quibusq; se quoque ornari posse arbitrantur. quare iuuenes, & magnanimi, qui omnia sperant, æmulatores sunt: & quibus illa bona adsunt, quæ digna sunt bonis, & laudatis uiris; ut diuitiæ, amicorum copiæ, principatus, & huscemodi alia: & quos alij iudicant dignos bonis, quæ bonis uiris digna sunt: & quorum maiores, cognati, affines, domestici, aut genus, aut ciuitas aliqua cum laude prosecuta sit. I. P. Quid est contrarium æmulationi? I. B. Despicientia, quæ quidem ex ijs, quæ æmulationi contraria sunt, consideretur. unde patebit illos contemni, in quibus nullum laudabilium erit bonorum, dissimilimiq; inue-

Quos æmulamur.

Aemulatores qui.

De Despicientia.

Qui contemnãtur.

inuenientur ijs, quos æmulamur. I. P. Quoniam expoſuiſti eas affectiones, quibus animi permouentur, & concitantur, uidetur mihi iam locus exponendi, qui mores, atque naturæ in ætatibus, atque fortuna conſiderentur, ut pateat quænam pariter affectiones quemq; ob ætatem, atque fortunam conſequi ſoleant. I. B. Sunt quidem iuuenes cupidi, & parati efficere, quæ concupiuerũt: & ex corporis uoluptatibus uenereas maximè perſequuntur, in hisq; ſunt intemperantes: ſunt inconſtantes, ac mutabiles: quæ concupiuerunt breui illis ſatietatem, faſtidiumq; afferunt: ut cupiditas in ipſis uehementer incenditur, ita cito reſtinguitur, ueluti ſitis, & fames ægrotantium: iracundi, acutæq; iræ ſunt, ac parati impetum animi ſequi. ſunt animo impotenti: indignantur enim ſi uideantur contemni, & iniuria affici: exuperantiam expetunt. iccirco cùm honoris, tum ualde uictoriæ ſunt cupidi, minus uerò pecuniarum. non enim ſunt auari, cùm nondum inopiam ſint experti. Sunt ſimplices, ac minimè malitioſi, quòd nondum multa per fraudem fieri uiderint: & creduli, quòd nondum ſæpe, & multis in rebus fuerunt decepti: bene de rebus ſperant. ut enim temulenti uino, ita iuuenes natura feruent, ſimulq; nondum multas offenſiones acceperunt: uiuunt ut plurimùm ſpe. ſpes enim eſt futurorũ, atque

De moribus qui ætates conſequuntur

Qui Iuuenum mores.

atque ipſis multum reſtat futurorum: facilè decipiuntur, propterea quòd ſperent omnia: fortiori, ac paratiori animo ſunt ad audendum. nam iracundi ſunt, quod facit ut non timeant; & bene de rebus ſperant, quod facit, ut fidentes ſint. ſunt uerecundi: fugiunt enim dedecus. ſunt magnanimi: ſiquidem imperiti rerum humanarum non aduertunt difficultates, in quas incurrunt homines, deinde bene de rebus ſperant. in agendo honeſta magis, quàm utilia ſectantur. ſtudioſi ſunt magis amicorum, ac ſociorum, quàm cæteri aliarum ætatum. conſuetudine enim uictus delectantur, nihilq; adhuc utilitate metiuntur. peccant in omnibus rebus, quòd nimij, immoderatiq; ſint. nam omnia præter modum agunt. amant nimiũ, oderunt nimium, atque ita reliqua. ſibi perſuadent omnia ſcire, & omnia firmiſſimè aſſeuerant, propterea quòd nimij ſint. iniurias inferunt, ut contumelijs afficiant, non ut occultè noceant. miſericordes ſunt, quia putant omnes bonos eſſe, ac frugi. & iocis, riſuq; gaudent. quare etiam faceti ſunt. Seniores autem ſunt moribus maiori ex parte iſtis propè contrarijs. quia enim diu uixerunt, & ſæpe decepti fuerunt, ipſiq; errauerunt, & plurimum uitij in rebus humanis ineſt, nihil firmè aſſeuerant, omnia multo minus, quàm oportet faciunt, ac reputant. ſciunt autem nihil, & dubitan-

Qui Senũ mores.

bitantes addunt ſemper forte, & fortaſſe, omniaq; ita dicunt, firmè uerò nihil. ſunt malitioſi, omnia ſemper in deteriorem partem accipientes: & ſuſpicioſi, minimeq; creduli. non amant, nec oderunt nimium; ſed ſecundum Biantis præceptum, amant, ut oſuri; oderunt, ut amaturi. ſunt parui animi. remiſſus eſt.n. feruor in ipſis, & uis imbecilis reddita. nihil magnum, ſuperuacaneumq;; ſed quæ ad uſus uitæ neceſſaria ſunt, cupiunt. liberales minimè ſunt: ſciunt enim q̃ difficilè bona poßideantur, & q̃ facilè eorundem iactura fiat. pauentes omnia extimeſcunt: refrigeſcit.n. in ipſis animus. uitæ cupidi ſunt, præſertim extremo uitæ curſu confecto. quæruli ſunt, & minima de cauſa, magisq; q̃ oportet, quæruntur. Lucro ſtudent, animumq; ad utile magis, q̃ oportet, intentũ habent, minimè uerò ad honeſtum. inuerecundi potius, quàm uerecundi ſunt. malè de rebus ſperant, quia timidi ſunt, & nouerunt multa in deterius cõtingere. uiuunt memoria magis, quàm ſpe. iracundia acuta quidem in ipſis eſt; ſed imbecillis. cupiditatũ quædam in ipſis reſtinctæ ſunt, quædam imbecilles reſtant. quare nec cupidi ſunt, nec earum rerum, quibus libidinem expleant; ſed lucri gratia actuoſi. iccirco temperantes uidentur. ratiocinatione potius, q̃ moribus uiuunt. illa enim ad utile, his ad honeſtum ducimur. iniurias inferunt,

ut

ut damno, non ut contumelia afficiant. miseri-cordes quidem sunt; sed non eadem qua iuuenes causa. in his enim imbecillitas, in illis uerò humanitas causa est: atque etiam, quia omnia impendere, quæ passuri sint mala arbitrantur, quod diximus esse causam, ut in aliorum rebus aduersis commoueamur. sunt tandem tristes, quæribundi, minimè faceti, nec risu, iocisq; gaudent.

Aetatis mediæ mores.

Qui autem in media sunt ætate constituti, nec uehementer fidunt, nec ualde timent: nec omnibus temere credunt, nec omnibus fidem derogant: nec parci, nec prodigi sunt. atque ita mediocritatem in omnibus retinent, suntq; illorum mores inter mores iuuenum, & senum medij, detracto quidem eo, quod in utrisq; horum est nimium. & quicunque in iuuentute, & senectute disiuncti inueniuntur mores, in media ætate erunt coniuncti. ut enim iuuenes sunt fortes; sed intemperantes, atque senes temperati; sed timidi: ita qui in mediæ ætatis cursu sunt, inueniuntur esse & fortes cum temperantia, & temperati cum fortitudine. Viget iam corpus à trigesimo, usque ad trigesimum quintum annum, anima uerò usque ad undequinquagesimum. I. P. In fortuna qui spectantur mores? I. B. *Nobiles quidem studiosi sunt honoris, laudisq;. nam nobilitas est quædam illustris laus maiorum, eamq; amplificare student.*

De Moribus, qui Fortunã consequũtur.

Qui nobilium mores.

& contemnunt tum alios minus nobiles, tum illos, qui nunc primùm euadunt ſimiles ſuorum maiorum. laudabiliora enim cenſentur, quæ bonis temporibus, quàm quæ nuper facta ſunt, atque tolerantiùs de illis gloriamur, illaq; prædicamus. Sed nobiles qui habentur, uirtute, ac ſplendore generis habentur: generoſi uerò ſunt, qui à uirtute maiorum ſuorum non recedunt. quod plerunque non contingit nobilibus; ſed ſunt multi, qui degenerant. Eſt enim fertilitas quædam in ortu uirorum, ut in ijs interdum, quæ naſcuntur in agris. quidam enim è genere alto ad immanio res mores traducuntur; ut qui ab Alcibiade, atq; à Dioniſio priori orti ſunt: quidam uero à quieto, & miti ad inertiam, & ſegnitiem dilabuntur. ut qui à Cimone ſunt, atque à Socrate Profecti. Diuites contumelioſi ſunt, & elati, ipſa diuitiarum poſſeßione inflati, & turgidi: ſibi enim uidentur omnia bona habere, & tenere pretium, quo cæterorum dignitas redimatur. ideoq; omnia ſibi uidentur uenalia. & delicati ſunt: atque dum delitias perſequuntur ſuam etiam proſperam oſtentant fortunam. & arrogantes: arrogant enim ſibi omnia, ſuasq; iactant diuitias; quòd multi illorum ope indigeant, ac multi ut dicebat Simonides conſpiciantur frequentare illorum ianuas; quòdq; putent ipſi ſe illa habere propter

Qui diuitum mores.

pter quæ digni sint principatu. ac ut breui complectar, amantis felicis sunt diuitum mores. Interest uerò inter mores eorum, qui nuper, & eorum, qui olim diuites fuerunt; quòd mali mores, & quidem omnes, & qui deteriores sunt, magis in illis, quàm in istis inueniantur. est enim ueluti tyro in diuitijs, qui nuper ditatus est. & inferunt iniurias, non quò malo, damnoq; alios afficere studeant; sed partim ut contumelias imponant, partim ut intemperantiam expleant: ueluti uerberando, & adulterando. Mores uerò eorum, qui in aliqua sunt potestate, maiori propè ex parte noti sunt. etenim tum ijdem sunt, qui & diuitum, tum etiam meliores. studioſi enim sunt honoris, & moribus magis uiriles inueniuntur esse: quòd earum actionum, rerumq; appetẽtes sint, quas gerendi sua illis potestas tribuit facultatem. & accuratiùs res ipsas circunspiciunt: quòd illas contemplentur, quæ pertinent ad eam, in qua sunt potestate. & ipso conspectu, congressu, colloquioq; quandam potius dignitatem, quàm grauitatem retinent. moderantur enim sibi ipsis, dum animaduertunt se quasi illustri loco sitos esse conspiciendos. atque eam dignitatem grauitatem intelligo decoram cum lenitate coniunctam. & si quando iniurioſi existunt, non qualescunque; sed graues, & insignes iniurias inferunt. Fortunati tandem sunt

Quantum interſit inter ueteres & nouos diuites.

Qui mores eorum qui in potestate cõstituti.

Qui fortunatorum mores.

ſunt ijs moribus, quos à nobilitate, diuitijs, poteſtate diximus hominibus apportari. optima uerò fortuna ad id refertur, ut quis ſit ſummo loco natus, diuitijs affluat, poteſtate polleat: deinde ut ſibi bona proles oriatur: tum bona pariter corporis ſuppeditat bona fortuna. Itaque elati, & inflati eſſe ſolent fortunati, minuſq; res ipſas reputant: illud uerò boni habent, quòd quodam cultu diuina proſequuntur, illis fidentes, propter ea, quæ ſibi à fortuna obuenerunt bona. Mores iam ignobilium, pauperum, illorum, qui omni poteſtate priuantur, & infeliciũ facilè in promptu eſſe poterũt ex ijs, quæ diximus, ſi contraria conſiderabuntur. Quoniã uerò omnes probant eam orationem, quæ ſuos ipſorũ mores effingit, uidebit orator, apud quẽ dicet, qua oratione utendũ ſit. I P. Sequitur iam ut dicas de his, quæ fieri poſſunt, quæ facta, quæq; futura uideantur. I. B. Sunt ij loci communes tribus generibus cauſarum, quamuis præteritum tempus iudicijs præcipuè ſit accõmodatũ; futurũ, quodq; fieri poteſt, deliberationibus: ut amplificatio, de qua dictum eſt, laudationibus. Vt uerò de his, quæ fieri poſſunt, & non poſſunt agamus, ſi fieri poteſt, ut aliquod contrarium uel ſit, uel efficiatur, etiam ut idem ſit, quod huic contrarium eſt, fieri poſſe uidetur. ueluti ſi fieri poteſt, ut homo ſanetur, etiam fieri poteſt, ut ægrotet. nam

Qui mores ignobilium, & pauperũ.

De locis communibus tribus generibus cauſarum.

Quæ fieri poſſunt, & non poſſunt.

contrariarum rerum quatenùs contrariæ ſunt, eadem cenſenda eſt uis. & rerum conſimilium, ſi una fieri poteſt, uidetur & altera fieri poſſe. & ſi quod difficilius eſt, fieri poteſt, etiam quod eſt facilius fieri poterit. & ſi quod luculentum, uel magnificum fieri poteſt, & ut omnino efficiatur fieri poterit. difficilius eſt enim pulchram domũ, quàm domum ſimpliciter fieri. & cuius rei principium, eiuſdem ut finis extet, fieri poteſt. nihil enim fit, nec; fieri incobatur, quod effici non poſſit. & cuius rei, ut finis, etiam ut principium extet, fieri poteſt. nam omnia ex principio oriuntur. & ſi quod natura, & ortu poſterius eſt, fieri poteſt, ut ſit; etiam ut ſit quod prius eſt, fieri poterit. ueluti ſi ut uir, etiam ut puer ſit, fieri poteſt. puer enim ortu eſt prior: & contrâ ſi ut puer, etiam ut uir ſit, fieri poterit. nam uir à pueritia ortum duxit. & quarum rerum amor, uel cupiditas natura nobis innata eſt (nullus enim quod fieri non poteſt amat, neque cupit ut plurimùm) quarum item rerum ſcientiæ, & artes ſunt, eæ res, ut & ſint, & fiant, fieri poteſt. poteſt & fieri, ut illa ſint, & fiant, quorumcunque actionis ſuſceptio in ijs eſt, quos nos cogere poſſumus, & perſuadere: ut quibus potiores ſumus, uel domini, uel amici. & quarum rerum partes, etiam totum, quarumq; totum, partes quoque plerunque

fieri

fieri possunt. & si genus sit eorum, quæ fieri possunt, erit itidem & species. & si species, genus. ut si nauigium fieri potest, etiam triremis, & si triremis, nauigium quoque. & si alterum eorum, quorum natura est, ut comparationem inter se habeant, fieri potest, ut sit, poterit itidem alterum. ut si duplum, & simplum; & si simplum, duplum pariter. & siquid sine arte, apparatuq; effici potest, magis arte, curaq; effici poterit: & quod ab impotentioribus, uel inferioribus, uel insipientibus, effici poterit, magis id præstare poterunt, qui ijs sunt contrarij. Ea uerò fieri non posse constat, quæ ijs sunt, quæ fieri posse diximus, contraria. Vtrum deinde quid factum sit, an non factum, hinc conijcere poterimus. Si quod minus natura aptum erat, ut fieret, factum est; quod magis est aptum, factum uideri poterit. & si quod posterius solet fieri, factum est, etiam quod prius solet fieri, factum erit. ut siquid oblitus es, id aliquando didicisti. & siquis potuit, & uoluit, egit. omnes enim cùm possunt, & uolunt, agunt. & siquis uoluit, nihilq; prohibuerit; si potuit, ac iratus fuerit; si potuit, ac concupierit, feciſſe quoque existimandus est. plerunque enim homines, quæ appetunt, si agendi adsit facultas, etiam faciunt. mali quidem propter intemperantiam, boni uerò quòd honesta cupiant: & qui facturus erat, etiam fe-

An aliqd factum sit necne.

ciſſe uidebitur: ueriſimile id quidem eſt. & ſi præ currerint illa, quæ antecedunt, uel cauſa ſunt eius rei, de qua quærimus, an facta ſit, etiam hanc eandem affirmare poſſumus eſſe conſecutam. ut ſi fulſit, etiam tonuit: & ſiquis aliquid attentauit, etiã feciſſe dicendus eſt: & contrâ, ſi quæ poſteriùs conſequi ſolent, uel à cauſa aliquã efficiuntur, facta ſunt, etiam quod priùs fieri ſolet, & quod cauſa eſt, ut illa efficiantur, priùs factum eſſe conſtat. ut ſi tonuit etiam fulſit, atque ſiquis aliquid fecit, etiam attentauit. horum igitur quædam neceſſariò aliquid factum demonſtrant, quædam quod aliquid plerunque fiat. Quod uerò factum non fuerit, ex contrarijs locis poterit oſtendi. Vtrum quoque quid futurum ſit nec ne, ex ijſdem locis eſt conſiderandum. Nam id forè confirmandum eſt, & quod aliqui poſſunt, ac uolunt: & ad quod peragendum tum ira, tum ratione (ſiquidem cum ſingulis ijs potentia adſit) mouentur: et ſi præcurſa ſint, quæ prius fieri ſolent; ut ſi aer cogatur in nubem, ueriſimile eſt pluuiam futuram: & ſi quod eius gratia fit, anteceſſit; ut ſi fundamenta iacta ſunt, domus uidebitur ædificanda.

An quid futurum ſit nec ne.

I. P. *Quoniam expoſuiſti uim argumentationis, & materiam ex qua argumentari in iudicijs, deliberationibus, & laudationibus poſſimus, atq; ſimul inſeruiſti illa quibus animi cõciliãtur, et per*

nouentur; sequitur nunc, ut ad modos, atq; formas
rgumentationis, de quibus cœperas dicere, reuer
aris. I.B. Volui quidem prius materiam proponi,
quamq; uim habere uideretur demõstrari, deinde
llam informari. atq; etiam uidebantur illa ante,
quæ essent propria causæ, post cõmunia explican
da. Sunt uerò duæ formæ argumentandi, quas ini-
tiò posuimus, omnibus artibus cõmunia: exemplũ
scilicet & enthymema. Exemplum igitur, dum ex
singulis assensionem captat, simile est inductioni,
quæ simile in singulis ostendens, primũ quid uni-
uersale concludit, estq; principium fidei, atque as-
sensionis captandæ. sunt uerò duo genera exem-
plorum unum, cùm præterita recensentur, alterũ,
quod quis sibi fingit. huius rursus alterum, quod
Collatio, alterũ quod Apologus appellatur. Exem
plum tale est. Darius cum uellet Græciam inuade
re, Aegyptum cœpit. Xerses quoque, ut Græciam
adoriretur Aegyptum subegit. ergo non est per-
mittendum nunc, ut Aegyptus capiatur, ne Græ-
ciam inuadat. Collationes autem, quæ res cum
rebus conferunt, et quibus utebatur Socrates, sunt
ueluti siquis diceret, nõ oportere sortiri magistra
tus, quòd perinde esset, ac siquis Athletas eligeret,
non eos, qui [illegible] essent, sed quos sors dedis-
set: aut [illegible] gubernandam non scientissi-
mus; sed [illegible] sorte dedisset, eligeretur.

Quæ formæ argumentandi.

De Exemplo.

De Collatione.

De Apologo.

Apologus uerò est, quali utebatur Stesicorus. Equus, inquiebat, ut ulciscereturceruum, qui sibi pastionem uastabat, rogauit hominem, an uellet secũ ceruum ulcisci, qui se quidem uelle respondit, si frenum reciperet, ac pateretur se iacula tenentem in ipso sedere. qui cùm annuisset, ascendit homo, atq; equum sibi seruire coegit. ita & uos Himerei, si Phalaridi duci, cui omne imperium tradidistis, adiunxeritis adhuc custodiam, ei profectò seruietis. Aesopus item hoc apologo Sami quendam primarium reum factum defendebat. Erinaceus, inquiebat, conspiciens uulpeculam dum ad flumen contenderet in foueam incidisse, ibiq; diu à ricinis, qui plurimi ipsius corpori adherebant, afflictari, rogauit an ei ricinos euelleret. negauit illa, atque causam Erinaceo quærente, respondit, illos plenos esse, quos si euellat, alios fame dominante accessuros, qui quod sibi reliquum sit sanguinis exhauriant. ita & à uobis Samij superstes hic relinquendus est. est enim diues. quem si interficiatis, alii pauperes locum eius occupabunt, qui bona publica exhaurient. Sunt uerò apologi concionibus accommodati, qui facilè, ut collationes, & similitudines, adminiculo ipsius Philosophiæ inueniuntur. quibus quidē utimur, cùm exempla non inuenimus. uerùm ex rebus gestis exempla utiliora sunt ad consilia danda. Exemplis uerò utimur, cùm enthymema-

mata non habemus loco argumentationum, cũ autem habemus loco testimoniorum, ut sint epilogi post enthymemata. nam exempla, cùm præponuntur assimilantur inductionibus, quæ principia sunt fidei faciendæ, cum uerò in epilogis collocantur, testimoniis. nam testis quouis loco adhibitus fidem facit. I. P. *Dic de enthymemate.* I. B. *Quoniam sententia est pars enthymematis, prius de ea dicamus. est uerò ipsa enuntiatio de uniuerso aliquo genere eorum, quæ in uita continentur, quæq; ad aliquid agendum appetimus, uel fugimus. & quia talium rerum collectiones astrictæ, & conclusæ sunt ferè enthymemata; & enthymematum earundem rerum conclusiones, & quæ ante conclusiones inueniuntur assumpta (ipsa collectione dissoluta) sententiæ erunt. ut si dicatur, uirum prudentem, & prouidum minimè curare debere, ut liberi nimium sapientes euadant, sententia erit. si uerò addatur causa: in inerti enim, & desidioso otio traducunt uitam, atque in infinitam hominum incurrunt inuidiam, enthymema. Sunt uerò genera sententiarum: duæ primùm sine epilogo, quarum eæ quidem antequàm efferantur præcognitæ sunt: ut optimum est homini commoda uti ualetudine. eæ uerò simul atque efferuntur, perspicuæ esse animaduertuntur: ut nullus amator est, qui non semper amat: & duæ deinde sine epi-*

De Sententia.

Quid sententia sit.

Quæ sententiarum genera.

logo. quarum eæ quidem partes dicuntur enthymematis, ut, neutiquam oportet uirum scientissimum euadere, ne uita iners traducatur, aut ne in hominum in nos concitetur inuidia. hîc enim addita est ratio, quæ sit altera pars enthymematis duabus seiunctis propositionibus comprehensi: eæ uerò dicentur enthymematicæ, in quibus partes enthymematis non sunt distinctæ, sed tamen elucet causa eius, quod effertur, quæ sententiæ maximè probari solent, ut, cùm sis mortalis, immortalẽ ne retineas iram. si diceretur, iram non esse seruandam, simplex esset sententia: cùm uerò additũ sit, cùm sis mortalis, simul quare ira conseruanda non sit, additum est. Nonutimur iam epilogo, cùm sententia non eget approbatione; utimur uerò eo, cùm dubium quid dicitur, aut quod ab opinione communi abhorret. utemur autem sententia cum epilogo, aut epilogum præponendo, & sententiam loco conclusionis inferendo. ut, postquàm neque in inuidia esse, neque otiosum esse conuenit, non oportere erudiri assero: aut contrà agemus, ut antè eodem exemplo usi sumus. Quæ deinde non alienæ ab opinione communi; sed tantùm incertæ sunt, adiuncta causa rotundissimè efferri debent. ad quæ quadrant laconica obscurè dicta. ut illud Stesicori. non oportere contumeliosum esse, ne cicadæ humi canant. uastationem scili-

Quæ sententiæ enthymematicæ, quæue simplices.

Quomodo singulis sententiarum generibus utendum.

cet

cet agrorum indicans. Communes quoque sententiæ rectè adhibentur, si sint utiles. ut, nequid nimis. item Prouerbia, quæ uim sententiarum obtinent. In his sententijs omnibus id spectatur, ut fides concilietur, & animus persuadeatur. Sunt uerò aliæ, quæ uitæ honestatem indicant, efficiuntq;, ut is, qui dicit bene moratus, institutusq; esse uideatur. ut non oportet nos (ut fertur) amare, ut osuros, sed magis odisse, ut amaturos. Oportebit autem actione etiam, ac uultu significari oratorem ita animo esse affectum, ut commodiora sequatur: si uerò id non fiat, causa erit adiungenda. ut insidiatoris erit, si ames ut osurus: ac uerus amicus ita amat, ut sit semper amaturus. Sunt tandem sententiæ, quæ perturbatione animi enuntiantur: ut siquis iratus dicat. Falsum est oportere se ipsum noscere. nam hic si nouisset se ipsum, nunquàm munus imperatorium petijsset. In Enthymemate iam generatim consideremus illa, per quæ causa confirmari, & infirmari possit. ac de confirmatione agentes prius uidenda sunt, quæ propria sunt causæ, deinde locos communes rhetoricos percurremus. Ex materia iam illa uniuersa, quæ exposita est, sumendæ sunt propositiones, & conficienda enthymemata: atque omnia, aut aliqua tenenda eorum, quæ in re, de qua agitur, insunt,

Prouerbia

De Enthymemate.

De Inuentione eorum quæ causæ propria sunt. Quæ in re insunt uidenda.

inſunt, ſiue illa ad quæſtiones ciuiles pertineant, ſiue ad quaslibet alterius generis alias. qui enim nihil habet, ex nihilo nihil concludet. ut ſi dandum ſit conſilium Athenienſibus de bello, utrum ſit gerendum, oportet ſcire eorum copias, uectigalia, amicos, bella antè geſta, & talia: ſin eos laudabimus, quomodo id agemus, ni tenuerimus omnia, quæ ab iiſdem bene fuerint geſta? idem cenſeas ſi accuſes, aut defendas Achillem. et quod dictum eſt de perſonis, idem intelligendum eſt de quacunque re alia: ut de iuſtitia, bonúmne quoddam ſit, ex his, quæ in iuſtitia inerunt, oportebit diſputare.

Quæ rem maximè attingunt conſiderãda.

Non ſolùm autem conſideranda ſunt, quæ in unaquaque re inſunt; ſed maximè quæ rem, de qua agitur, attingunt. ut Achilles, quòd fuerit Semideus, quòd Ilium in militiam profectus ſit, id habuit cõmune cum multis alijs, ut cum Diomede. quòd uerò Hectorem, & Cygnum interfecerit, id ſibi fuit proprium. Atque hæc omnia huiuſcemodi eſſe debent, ut probentur ijs, qui iudicant, & illam uim afferant enthymemati, ut aliquid aut probabiliter oſtendant, aut neceſſariè demonſtrent. de qua quidem ui initiò dictum eſt. I. P. *Sequi uidetur, ut dicas de illis enthymematibus, qui loci dialectici, et rhetorici dicti ſunt.* I. B. *Sanè quidem. Atque horum, quædam dicuntur eſſe enthymemata, quædam uideri tantummodo, nec eſſe. & illorum quæ ſunt,*

De locis enthymematum.

quæ-

quædam dicuntur præterea confirmare, quædam redarguere. I. P. *Dic de his omnibus ordine.* I. B. *Enthymematum, quæ confirmant, est quidem locus, qui à Contrario dicitur, ut bonum est temperantem esse, nam intemperantem esse malum est. A similibus casibus: ut non quicquid iustum, id etiam bonum: alioquin & quicquid iustè fieret, esset bonum. at iustè mori minimè est expetendum. Ab iis, quæ mutuò se confirmant. ut illud Diomedonis, si uobis turpè non est uendere exactionem uectigalium, nec nobis emere. at utilium in hoc genere interdum inest: propterea seorsim partes enthymematis erunt considerandæ. nam aliquis dignus erit, de quo supplicium sumatur; sed id à te minimè fieri oportuit. A maiori, & minori. ut si Aiax non potuit interficere Hectorem, minus poterit Vlysses. si potest Vlysses, magis poterit Aiax. A Pari. ut si Theseus iniustè non egit Helenam rapiendo, nec Paris. A temporis ratione habita. ut si antequàm tyrannum interemissem, libenter, ut id agerem, uestram mihi astrinxissetis fidem, uos meam statuam in loco publico collocaturos: nunc, cùm id præstiterim, cur eam mihi non statuetis? Ab iis, quæ cum contra nos fuerint dicta, in aduersarium reijcimus. ut instabat Iphicrates Aristophonti, qui se accusans, rogabat, an naues ipse pecunijs proderet.*

Qui loci confirmãdum.
A contrario.
A simili. casibus.
Ab iis, quæ mutuo se confirmãt
A maiori, & minori.
A Pari.
A Tempore.
Ab iis quæ in aduersarium reiicimus.

tu

tu Aristophon non illas proderes, ego Iphicrates proderem? hoc loco utimur contra eum, qui magis, quàm nos, eius criminis habetur reus, quod nobis obijciebat. A Definitione. ut Dæmonium nihil est aliud, quàm aut Deus, aut Dei opus. at qui putat opus Dei esse, necesse est, ut hic Deum quoque esse credat. Ab eo, de quo quæritur, quot modis dicatur. ut, cùm rectum dicimus, quot notiones animis nostris consignentur, quærimus: atque ex eaui, quam ei uerbo tribuendam esse demonstramus, aliquid concludimus. Ex Partitione. ut si omnes tribus de causis iniurias faciunt, aut hac, aut illa, aut tertia aliqua, prioribus duabus fieri non potuit, tertia ne aduersarius quidem diceret, restat ut iniuria minimè sit facta. Ab Inductione, ut si à quibus uidemus malè tractari alienos equos, eisdem nostros non tradimus, neque nostras naues ijs, qui alienas euerterunt, ac similiter in rebus omnibus agere debemus: illis profectò ad salutem nostram defendendam non utemur, quos alienam malè tutari cognouimus. A rebus iudicatis, aut ijsdem, aut similibus, aut contrarijs. ut probata Euagoræ uirtus uideri debet. nam Conon, cùm in afflictam incidisset fortunam, omnibus alijs postha bitis, ad unum se recepit Euagoram. A partium enumeratione. ut si dicamus Socratem non fuisse impium, nam nec templa, sacraq; uiolauit: Deum

A Definitione.

Ab eo, de quo quæritur, quot modis dicatur.

A Partitione.

Ab Inductione.

A rebus iudicatis.

A partiũ enumeratione.

uene-

neneratus est, & coluit: moribus, ac uita religiosum se semper præbuit. Ab ea re, quam bonum & malum sequitur

Ab ea re, quam eandem, et bonum quid, & malum sequitur. ut eos, qui in disciplinis instituuntur, hoc malum consequitur, ut sibi inuideatur. item hoc bonum, ut sapientes euadant. Ab ea re, quam consequuntur contraria.

Ab ea re, quã eandem consequuntur, non quæ contingunt opponi; sed quæ cõtraria inter se sint. ut sacerdos quædam non sinebat filium suum concionari. nam si iusta, aiebat, dixeris, homines te odio prosequẽtur; sin iniusta, Dij. id cõtra colligitur. oportet igitur cõcionari. Si. n. iniusta dixeris, homines te amabũt, sin iusta, Dij. Ab iis, quæ aperte, & quæ occulte laudantur.

Ab ijs, quæ aperte, et quæ occultè laudãtur. nã iusta, et honesta aperte laudãtur, utilia uerò occultè expetũtur. siquis iã cõmendauerit honesta, opportunitates utiliũ contrà proferẽtur: sin utilia, honesta prædicatione omniũ excellere demonstrabuntur. A Comparatione.

A cõparatione, et proportione, qua aliqua eodẽ modo contingunt. ut si magnos pueros uiros existimatis, paruos uiros pueros esse statuite. Ab eo, quod idem sequitur.

Ab eo, quod idem sequitur ex ijs, quæ eadem fuerint. ut similiter impiè faciunt, qui dicunt Deos oriri, & qui interire affirmant. Ex utroque enim horum sequitur, aliquando Deos non esse. Abiis, quæ ex uno sequuntur.

Ab ijs, quæ ex uno sequuntur. ut si, cum de Socrate iudicium fiat, dicamus, non de Socrate, sed de studio sapientiæ: aut non de studio sapientiæ, sed de Socrate iudi-

cium

Ab eo, ꝙ non sequimur prius ut posterius.

cium estis laturi. hîc illud concludimus, quod nobis utile sit. Ab eo, quod non sequimur prius, ut posterius, aut contrà: ut si, cùm exules essemus, pugnabamus, ut in patriam reduceremur, reducti, in exilium ibimus ne pugnandum nobis sit? A causa quare aliquid sit factum, si eius rei gratia, qua debebat uideri factum, factum non fuerit. ut Diomedes non assumpsit Vlyssem, quò ei honorem deferret; sed ut inferiorem haberet, cui præiret. fieri enim potest, ut hac de causa id à Diomede factum sit. Ab ijs, quæ fieri quidem uidentur, sunt tamen incredibilia. ut Adamas dicebat leges lege corrigi debere. quod quamuis uideatur incredibile, est tamen uerum. nam & pisces sale egent, cùm probabile non sit, quod in mari nutritur egere sale: & baccæ itidem oliuarum oleo, ut conseruentur, cùm incredibile uideatur, id, ex quo oleum fit, egere oleo. Enthymematum uerò, quæ coarguunt, est quidem locus, cùm illa arguuntur, in quibus pugnantia insunt, & quæ non concedun tur. ut illa, quæ dißident temporibus, negotijs, oratione. Alius ducitur à causa, quæ euellat suspicionem, ut cùm mulieri daretur crimini, quòd oscularetur iuuenem, attulit causam, qua calumnia dissolueretur, illum inquiens sibi esse filium. Alius à causa, qua posita id sit, quod ex ipsa efficitur. ut Laodamas, cùm accusaretur, quòd in arce tyran-

A causa, quare aliquid sit factum.

Ab iis, quę fiunt tam etsi sint incredibilia.

Qui loci coarguāt.

A causa, q̄ euellat suspicionem

A causa ad effectum.

um

norum fuisset. non secreui me, inquiebat, à tyrannis, ut mihi fidem haberent, dum illorum tyrannidis uim studebam imminuere. Alius ex quo considerantur, quæ melius fieri contingunt. uerùm sæpe non ante; sed post se ostendit, quòd melius agi potuit. Alius cùm uidemus, an quicquã geri possit, quod rebus iam gestis contrarium sit. ut Xenophanes consultus ab Elatis, an Matutæ sacra facerent, & lugerent, respondit. si ipsam Deam crederent, ne lugerent, sin hominem, ne sacra facerent. Alius cum ex erratis trahimus accusationem, & defensionem. ut Medeæ erratum constabat, cùm filios à se amandasse uideretur, defendebat tamen se, quod error esset, filios necasse, ac patrem reliquisse superstitem. Alius à nomine ducitur. ut de Draconis legibus dicebatur. non sunt hominis leges; sed Draconis. duræ siquidem erant. Hæc argumenta, quæ coarguunt, quia ex contrarijs breuiter concludunt, maximè auditorem mouent. Sed argumentationes, quæcunque illæ sint, præsertim mouent, & delectant, quæ ab auditore acutè quidem, quòd non admodum apertè enuntientur, præuidentur, quas simulac præsensit, secũ tacitus gaudet. mouent item illa, quibus eatenus argumentando tardatur auditoris intelligentia, ut simulatque perfecta est argumẽtatio, ipsa percipiuntur. Enthymematum autem quæ non sunt, sed uidentur esse,

Ab iis, q̃ melius fiunt.

An cõtrarium geri possit.

Ex erratis trahi accusationem, & defensionem.

A nomine

Argumentationes quæ moueant, & q̃ delectent.

De enthymemata nugatoris

Ab eo, ꝙ concludi-tur, cũ nõ fuerit assũptum.

se, est quidem locus ab ea oratione ductus, in qua tandem concluditur, quod non fuit assumptum. ut si dicam aliquem nec uiribus corporis, nec robore animi quoquam inferiorem esse, deinde illud conficci uelim, illum alijs esse meliorem. atq; hunc intelligam meliorem, qui bonitate excellat. utũtur tum conuersione orationis, qui ex hoc loco uideri concludere uolunt; ut si dictum sit, uituperandum esse prodigum, q, sua bona consumat, inferunt, non esse uituperandum, quandoquidem plurimis commodet: tum relatione contrariorum; ut si accusandus est, qui aliena rapit, laudandus est qui sua impartitur: atque etiam plurima rerum capita solent enumerari, quæ uicissim se confirmare uideantur.

A Verbo, quod plura significat.

A uerbo, quod plura significat: ut si canẽ laudans, simul quis de cane cœlesti loquatur. Ab eo, quod coniunctim dictum est, separatum intelligendum sit: aut contra. ut si dicatur, illum uerba nosse, qui elementa nouit. at hæc diuersa sunt. potest quis elementa nosse, qui uerba ignoret. & iustum uideri de Clytemnestra fuisse sumptum supplicium, quæ maritum interfecit; & filium fuisse ultum mortẽ parentis. hæc si dicerentur coniuncta, forsitam nõ uiderentur iusta.

Ab eo, ꝙ coniunctũ & separatim effertur,

Ab exageratione.

Ab exageratione orationis, cùm quid antequam probetur, exageretur esse factum.

A signo, ex quo nil recte concluditur.

A signo, ex quo nil rectè concluditur. ut Dionysium furem esse, quandoquidem improbus sit.

Ab

Ab ijs, quæ fortuitò contingunt. ut Policrates mu-
res tuliſſe opem ait, qui arcuum cordas corroſe-
rint. A conſequentibus: ut ſi, qui ornatus incedit,
noctu uagatur, dicatur adulter. Ab ea, quæ non
eſt, tanquam ſit cauſa. ut Demades dicebat De-
moſthenem fuiſſe cauſam bellorum, quæ conſe-
cutaſunt, poſt eius adminiſtrationem. Tandem
eſt ille locus, cùm prætermittitur quando, & quo
modo. ut Helena habuit facultatem à patre ſibi
quem uellet utrum eligendi; ſed non ſemper. & ſi
dicatur, ueriſimile non uideri imbecillum forti
uim intuliſſe, ueriſimile ſimpliciter intelligitur;
ſin uerò fortem uerberaſſe, ueriſimile quoque non
uideri, quòd ueriſimile id poſtea uideri omnibus
debuiſſet, quadam ratione, nec omnino. I. P. Re-
ſtat, ut dicas de reprehenſione. I. B. Reprehendi-
mus quæ ab aduerſarijs ad confirmandum allata
ſunt, uel contrâ ratiocinando, ſi rem, de qua agi-
tur, aliter ſe habere docebimus; uel nos ipſos ſen-
tentijs, quas in hominum opinione de ijs, quæ in
uita fugienda, & ſequenda ſint, ineſſe docuerint,
opponendo. contrâ ratiocinamur ijſdem ex locis,
ex quibus res aliqua fuerit confirmata. Et quo-
niam quatuor ſunt illa ex quibus ducuntur enthy-
memata: ueriſimile, exemplum, ſignum, & pro-
pria rei; poterimus oſtendere aliquid non eſſe ue-
riſimile. & ſi ſit ueriſimile, non eſſe tamen ne-

Ab iis, quæ fortuito contingũt

A conſequentibus

A nõ cauſa.

Quando, & quomodo prætermiſſum.

De Reprehenſione.

Veriſimilia quomodo reſellantur.

cessarium. quamuis hoc posteriori modo respondendo non uerè infirmemus. quia non ostendendo non esse necessarium quid, uerisimile diluitur (potest enim aliquid non esse necessarium, quod tamen sit uerisimile) sed non uerisimile esse demonstrando. debemus igitur aut negare uerisimile esse, aut plura nos afferre uerisimilia, aut illa tum quæ circa tempora, tum quæ circa facta ipsa ferè fieri solent. Signa uerò quamuis uera esse contingat, tamen ut initiò dictum est, possunt infirmari. Exempla eadem ratione, qua uerisimilia reprehenduntur. at si aduersarius plurima similia, & quæ sæpius euenerint, ostenderit, contendemus id, de quo nunc agitur, non esse simile, uel non similiter contingere, uel aliquod esse discrimen. Propria rei nota non potest infirmari. relinquitur uerò ut negetur, quod ab aduersario dicitur, uel eam uim habere, quam ille uoluit. Opponemus autem nos sententijs aduersarij aut ex eadem re contrâ ratiocinando: ut si quis dixerit, amorem esse rem honestam; instabimus amorem esse indigentiam, quæ mala sit, & Caunium amorem dici, quo flagitiosi amores significantur: aut ex contrario, ut si dictum sit; bonum uirum omnibus amicis benefacere, docebimus, nec malum eosdem malo afficere: aut ex simili; ut si conclusum sit, malis affectos semper odisse, at nec beneficio affecti,

Signa quo modo infirmentur.

Exempla quomodo reprehendantur.

Propria rei nota quemadmodum refellatur.

Sententiæ quomodo refellãtur.

Ex eadem re.

Ex contrario.

Ex simili,

affecti, inquies, semper amant: aut ex rebus iudicatis; ut si conclusum sit, ebrijs oportere ignoſci, instare posses, ita legem Pittaci improbari, qui grauiores pœnas constituit ijs, qui ebrij deliquissent. I. P. Postquam res fuerint comprobatæ, num amplificatio est adhibenda? I. B. Amplificatio, ut non est locus enthymematum, ueluti, à maiori, & minori; sed conclusio sententiæ, ita nec hoc loco consideranda est. quare ante de ea diximus, cùm de generibus rerum loqueremur, quæ adhibetur, cùm aliquid maius, aut minus demonstratur. Quoniam, quæ dicuntur ab oratore his duobus diebus cognouisti, ut etiam quomodo dicendum sit teneas, id in tertium diem differemus. Nunc uerò tempus est, ut hunc pontem, & has sessiones relinquamm: atque, ut uideo te cupere, hos sequamur, qui ædes tuas uersus pilam ligneam propellunt.

Ex rebus iudicatis.

Amplificationem non esse locũm enthymematum.

IACOBI BROCARDI PARTI-tionum Rhetoricorum Aristotelis, Ad Petrum Andream Code-gorum Ferrarienſem.

Dialogus tertius tertio Ariſto-telis libro reſpondens.

IACOBVS PISANVS.

Epilogus eorum, q̃ ab orato-re dicũtur

VM *ipſa genera propè re rum, in quibus uerſatur foren ſis dictio expoſita ſint, & il-la, quibus animi afficiuntur, & quæ uis, quiq; modi ipſius ſint argumentationis, inſuper loci communes, ex quibus enthymemata trahi poſ ſint; atque hæc omnia ſint ad confirmationem, & reprehenſionem accommodata, nihil reſtare ar-bitror eorum, quæ fidem faciunt, & in quibus quæritur quid dicatur. quare iam tempus eſſe uidetur, ut doceas, quomodo dicendum ſit.* I. B. *Elocutionem quæris, & ordinem partium ora-tionis.* I. P. *Sũntne neceſſaria ornamenta oratio-nis ad res ipſas?* I. B. *Non admodum multùm. ue-rùm quoniam omnia, quæ pertractantur ab ora tore, ad opinionem referuntur, in elocutione non*

De elocutione. Ornamenta an neceſſaria.

parua

parua cura ponenda est, quemadmodum etiam in pronuntiatione, ut capiamus assensionem auditoris, studiumq;. I. P. An numquid de pronuntiatione dicendum uidetur? I. B. Parum id quidem. requirit enim illa naturam, minusq; habet artificij. quod uerò habet, illud positum est in uocis magnitudine, ut ea nunc parua, nunc magna, nunc media utamur accommodatè ad singulos animorum motus: & in concentu sonorum, ut alius acutus sit, alius grauis, alius inflexus: & in numeris, qui adhibentur in quauis re efferenda. In ornatu uerò orationis ars maximè flagitatur. quare de hac dicamus, non omia quidem quæ dici possunt, quæq; sequuntur poetæ; sed quæ ad oratoris orationem accommodata sint. I. P. Quo modo igitur elocutionem distinguis? I. B. Quædam de ipsa generatim dicentur, quædam separatim singulis generibus causarum propria. atq; in his, quæ generatim spectantur considerabimus ornatum, festiuitatem, & formam dicendi. I. P. Quid igitur ornatus, in quo eum ponis? I. B. In uerbis simplicibus, & coniunctis, & uirtute orationis. I. P. Dic de simplicibus. I. B. Simplicia inueniuntur, eaq; partim natiua dicuntur, ut propria, quæ una cum rebus ipsis nata uidentur; & usitata, id est, quibus communis consuetudo loquendi utitur: partim reperta; & inusitata, quæ

De Pronuntiatione, quid ad dicendum afferat.
Pronuntiationem ex tribus constare.
Vox.
Concentus.
Numerus.

De Ornatu.
De uerbis simplicib.
Quæ Verborum genera.
Natiua.
Propria.
Vsitata.
Reperta.
Inusitata.

Prisca. Facta.

Translata

Imago.

Adiuncta ad nomen Synonima.

Ambigua.

Qualis sit Rhetorica oratio.

Quomodo translatis utendū

ab usu quotidiani sermonis intermissa sunt, factaq; sunt prisca, uetustaq;; & facta, quæ coniunctione nouantur, ueluti si dicas, uersutiloquæ malitiæ; & translata, cùm alieno uerbo, quod similitudinem contineat, utimur; ueluti, feruet æstu pelagus. in his si additur, sicut, ueluti, ac aliquid simile, fit tum imago. atque ita: si dicatur Achilles ueluti leo irruit, imago erit. sin leo irruit, translatio. & adiuncta ad nomen; ueluti si matricida dicatur Orestes. Sunt item illa uerba considerandā, quæ & cùm plura sint, rem unam declarant; ut uado, eo, quæq; poetis utilia sunt: & cùm unum sit, res plures significantur, suntq; sophistæ accommodata. Vt uerò cognoscamus, quomodo his uti debeamus, qualis sit rhetorica oratio, cognoscendum est. est enim illa non ita humilis, abiectaq;, ut quotidianus, communisq; sermo, nec grandior, ut poetica; sed medium quoddam retinens. quoniam uerò communis sermo utitur propriis uerbis, usitatisq;, & translatis, poeta uero factis, & inusitatis; frequenter utetur illis, his uerò modicè, ac rarò, ne de industria composita uideatur esse oratio ad captandas auditoris aures. Atque translata, & ad nomen adiuncta uerba, aptè debebunt, congruenterq; efferri, ut proportionem habeant ad illa, quæ iunguntur, & transferuntur, siue aliquid

quid commendamus, siue improbamus. dedecent quidem translationes, quæ ridiculæ uidentur, atque nimium graues; & in quibus simile longius ductum fuerit: dedecent item adiuncta ad nomen, uel quæ sint longè petita, uel intempestiuè posita, uel crebriùs, quàm par sit. non rectè pariter adhibentur uerba iuncta, si nimiùm recedant à consuetudine communi sermonis. insuetum simul reijcitur, si nimium insolens, odiosumq; sit. Consideratur quoque in uerbis, ut sint quædam aspera, suauia, honesta, turpia, ornata, nitida, quæq; magis, minúsue rem quodammodo attingant, atque ante oculos ponant. I. P. Habeo de simplicibus uerbis, nunc de coniunctis quæro. I. B. Primùm consecutio ipsorum, & ordo seruandus est, & ne numeris, generibus, atq; similibus rebus perturbetur oratio. I. P. Virtutes uerò quas habere debet? I. B. Vt sit dilucida, grauis, admirabilis, iucunda, probabilis, amplitudinem, decorumq; retinens. atque Dilucida quidem erit, si quod uolumus, maximè demonstrabitur, uerbis proprijs, & usitatis, dispositis aut unius, aut plurium membrorum circunscriptione conclusa, de qua quidem paulò post dicetur: illaq; absint, quæ faciunt orationem obscuram; longitudo uidelicet, aut contractio orationis, aut inflexio, atque immutatio uerborum. Concinni-

Vitiosæ translationes quæ.

Quæ fugienda in uerbis Adiunctis, Iunctis.

Delectus uerborũ.

De uerbis cõiunctis.

Virtutes orationis.

De dilucida oratione.

Quæ faciant obscuram orationem.

De Iucunda.

De Grauis

De Probabili.

De Amplitudine.

De Decoro.

tas item illa, in qua contraria opponuntur, paria paribus respondent, cùm dilucidam efficit oratione, tum etiam iucunda est. Grauis fit oratio, si pro uerbis proprijs, & usitatis, facta, & inusitata assumpserit. propterea q; etiam erit admirabilis. quæ uerò admirabilia sunt, inueniuntur quoque iucunda. Probabilis autem, si non sit nimis compta, nec in morem poetarum adhibeantur uerba inusitata, & facta; sed cum rebus ipsis uideantur nata. atque sententiæ hominum opinionibus aptæ sint. Ampla autem, quæ aut uerbum in plura uerba deducit, aut uerba ad unum uerbum reuocat: & quæ, quod unum numero est, multitudinis nomine appellat; & quæ rem eandem pluribus uerbis circunscribit. id q; sæpe fit, cùm non habemus, quid dicamus, atque per eius de quo agimus negationem, infinitè augemus orationem. Decorum autem suum retinebit oratio, si permotiones animi significabit, morata q; fuerit, & singula ad rerum dignitatem aptè, congruenter q; dicantur. ut si neque magna demissè, neque tenuia grauiter dici uidebuntur, neque uerbo humili addatur ornatus. si interdum suo, ac opportuno loco unaquaque re utemur, interdum contrâ. atque tunc corrigemus id, nos q; met reprehendemus. interdum non simul omnibus, quæ congruerent, si suo loco dicerentur, utemur. uerbi

bi causa, si uerba aspera erunt, non etiam uocem, uultum, gestum, cæteraq; afferemus, quæ asperitati congruant. id autem facimus, cùm quæ lenia sunt, aspera tamen uideri cupimus. cùm uerò aspera lenire conamur, contrâ agimus, nec omni ex parte leniter dicimus. Decet *uerò illos uti ad nomen additis, & alienis, & inusitatis, & ijs, quæ frequentia congeruntur, qui animos concitant, & qui auditorem ad suam causam conuerterint.* I. P. *Vnde autem leporem, & festiuitatem habebit oratio?* I. B. *Si salibus, & facetijs quasi condiatur. hæc uerò continentur ipsa translatione, quæ quidem neque ita sit ab eo, quod uis indicari, discrepans, ut difficilè intelligatur: neque ita aperta, ut auditor nihil discens nulla uoluptate afficiatur. nam uoluptate afficitur auditor, quia putat se aliquid discere. iucundissimæ uerò illæ traslationes sunt, quæ proportionem habent ad illa, quorum causa transferuntur. delectant etiam illæ, quæ rem ita ante oculos ponunt, ut geri uideatur. & cùm inanimata, ut animata inducuntur: ut in planitiem deuoluebatur lapis impudens. atque illa faceta, & urbana sunt, in quibus fallitur auditoris expectatio, ac alia dicuntur, quàm ipse expectasset: ut ibat pedes inductus pernionibus. putabat enim calceis dici. item apophthegmata, & enigmata, & prouerbia,*

De festiuitate orationis.

uerbia, quæ idem præstant. item uerba, quibus propter similitudinem uariè alluditur. item paria paribus reddita, & quæ bis dicuntur: ut non oportet hospitẽ hospitẽ semper esse. atque quò breuius hæc dicentur, eò celerius; quò uerò magis contrariè, eò magis docebimur. tandem festiuitatem habent translationes ueritatem superantes: ut de eo, qui tumentibus maculis aspersam habebat faciem, quidam dixit, esse fiscinam moris plenam. I. P. Sequitur, ut dicas de forma dicendi.

De Forma orationis

I. B. Formam hîc dicimus ipsam compositionem, & quasi structuram uerborum, quæ numeris clauditur, & terminatur, non quidem more poetico, sed quæ proximè accedat ad numerum. est uerò hic numerus ipsa forma orationis modis illigata, atque ipsa aptè concluſa uerba. & quia herous grandior est, quàm desideret soluta oratio, iambus uero nimis è uulgari uidetur esse sermone, & trocheus incitatior, & saltationi similis, assumimus pæan, qui est tertius, & medius inter hos. cùm enim par sit herous, duplex iambus, restat modus tertius, & medius inter hos sesquiplex, qui est pæan. & qui in uersum non cadit. est autem pæan duplex, aut enim à longa oritur syllaba, quam tres breues consequuntur, eoq; utimur orationem ordientes: aut à tribus breuibus, & longa terminatur; atque hunc numerum

De Numero.

Herous.

Iambus.

Trocheus

Pæan.

merum in extremo optimè cadere censemus. Ipsam uerò continuationem uerborum necesse est aut perennem, & continuatam esse, aut articulis, membrisq; distinctam. Continuata est, quæ ex se nullum constituit finem, ni res, de qua agitur ad finem peruenerit: est uerò iniucunda. Distincta iam circunscriptione, & ambitu claudit, absoluitq; sententias. Est uerò ambitus iunctio illa uerborum, quæ principium per se ipsam, & finem habet. cuius ea sit magnitudo, ut tota facilè animo comprehendatur. atque hic ambitus aut pluribus membris connectitur, aut simpliciter effertur. pluribus membris, cùm partes in ipso distinctæ sunt, nec ita continuatæ, ut nimiùm producantur; sed ut tota uerborũ cõplexio facilè uno spiritu uoluatur. simpliciter, cùm uno membro ambitum claudimus. siue igitur circunscriptè, siue membratim dicimus, nec circuitus, nec mẽbra aut breuiora, aut longiora, quàm deceat, esse debent. Sunt uerò quædam formæ orationis, quæ per se numerum efficiunt: ueluti cùm quædam ut distincta efferuntur, quædam ut contraria cõparantur. Distincta, ut sæpe miratus sum, et eos, qui mercatum indixerunt, & eos qui ludos gymnicos instituerunt. Contraria, cùm unicuique membro, uel uni contrario contrarium additur: uel idem duobus adnectitur contrarijs. ut utriusq; utiles fuerũt,

De oratione continua.

De oratione distincta.

Ambitus.

Membra.

Quæ per se numerosa sint.

Distincta.

Contraria.

&

& ijs, qui remanserunt, & ijs, qui ipsos secuti sunt. his nanque plura, quàm quæ domi possederant, acquisiuerunt: illis, quæ satis sibi ad uictum essent, domi reliquerunt. sunt item suapte natura numerosa, paria paribus reddita, quæ similiter oriuntur, quæ similiter desinunt, aut cadunt. I. P. Reliquum est igitur, ut dicas, quæ seorsum paratim singulis generibus causarum propria sunt. I. B. Vt aliud est scriptura, aliud concertationes iudiciorum, & deliberationum, ita genus orationis non idem est. quod enim scriptura spectatur, diligentissimè debet esse elaboratum. quod uerò ad concertationem dicendi comparatum est, actione maximè nititur. Atque huius duo sunt genera, alterum ad mores, & omnem uitæ consuetudinem accommodatum, alterum quo concitantur animi. actores iam fabularum hæc maximè persequuntur, & poetæ hos in scribendo intuentur, qui affectiones, & mores agendo exprimant. Si iam scriptores, & oratores inter se conferas, illi quidem in forensibus certaminibus angusti uidebuntur, horum autem quæ commodè pronuntiata fuerint, cùm in manibus habebuntur, uulgaria apparebunt. cuius rei causa est, quòd hæc in acie congruunt. quæ uerò, ut agantur comparata sunt, cùm actione sublata opus suum non efficiunt, stolida, & inania uidentur.

Paria. Similiter desinentia Quę cuiq; generi causarum propria.

In quibus differant Oratores a scriptoribus.

Collatio scriptorū, & oratorū

dentur. ut quæ dissolutè dicuntur, & quæ ab eadem re initium sumunt, & talia. quæ quidem etiam oratores assumunt, quòd actioni accommodata sint. In genere autem deliberatiuo supervacanea est omnis diligentia. nam simile omnino uidetur umbris picturæ. ut enim pictura procul posita, ita spectatur deliberatiua oratio. contrà uerò iudicia acurata esse debent. nam in his minimus est auditorum numerus, & propius causa spectatur. quare non adumbrata; sed pura, & expressa iudicia esse debent. in laudationibus res explicantur, & scribuntur ornatius. est enim eius finis lectio. I. P. Quoniam de his, quibus fit fides, & de elocutione egisti, expone nunc ordinem partium orationis, qui quidem ex tribus rebus, quibus præcepta rhetorum contineri dixisti, fuit extrema. I. B. Sanè quidem. nam, cùm id ostendero, munus promissi omne confecero. Partes necessariæ sunt duæ, propositio, & fides. necesse est enim causam ponere, & eam probare: Si autem plures faciamus, erunt exordium, propositio, fides, & epilogus. narratio uerò est solius generis iudicialis. collatio item eorum, quæ à nobis, & ab aduersarijs fuerint demonstrata, est pars fidei. I. P. Perge igitur ordinè has partes explicare. I. B. Faciam, & ab Exordio primùm ordiar. quod quidem est orationis initium, ut

Qui ornatus cuique generi cõueniat.

Deliberationes minus accuratæ.

Iudicia accurata.

Laudationes ornatiores.

De partibus orationis.

Partes necessariæ.

Quot partes sint orationis.

De Exordio, quid sit.

ut in fabulis poetarum prologus, & in tibicinum modis quod græce dicitur προαύλιον. Ducuntur autem exordia ex his rebus, quæ laudem, aut ui-tuperationem habent, quæq; ſuadentur, & diſſuadentur, quandoquidem mutata dictione quæ perſuadentur, fiunt laudes; & ex quibus retinetur auditoris animus, ne à nobis alienetur, ſi de re admirabili habebitur oratio, uel de ardua, et difficili uel de uulgari, & peruagata: atq; efficiendum eſt in exordijs laudationum, ut auditor putet colladari quoq; aut ſe, aut genus, aut ſtudia ſua, aut quoquo modo aliter. In iudicijs autem ui-mur exordio, ut finis, cuius cauſa habetur oratio, oſtendatur. (nam ſi cauſa nota ſit, uel parua, plerunq; non utimur exordio) & ut remedia cauſarum comparentur, ſuntq; illa communia accuſatori, et reo. quæ quidem ducuntur ex eo, qui dicit, ex diſceptatore, ex ipſa cauſa, ex aduerſario. Ex perſona noſtra, & aduerſarij, quamlibet calumniam in alium conferendo, atq; in nos collatam munuendo, & diluẽdo. qui enim accuſat, eam peroratio iacit, ut magis inſideat in memoria: qui uero defendit, eam initio dicendi diſſoluit, aut minuit, quæ obſtant, & officiunt, amoueat. Ad auditorem autem illa pertinent, quibus eum beneuolum facimus, aut iratum, atque interdum attentum, uel etiam ſecus. de beneuolentia dictum eſt ante, d

Vnde Exordia ducantur.

De Exordio demõſtratiui generis.

De Exordio Iudicialis generis.

de ira. Attentio uerò comparatur, cùm magna à nobis proponuntur, cùm coniuncta cum ijs, apud quos agimus, cùm admirabilia, cùm iucunda. atq; non solùm in exordijs sed etiam in cæteris partibus, ubicunque dabitur occasio, excitandi sunt animi. si iam attentio tollenda sit, oportebit risum inducere, aut aliquid aliud, quod eam amoueat. In procœmijs iudiciorum illa duo spectanda sunt, ut iudex nobis faueat, & misericordia moueatur. Deliberationum iam exordia ex iudicialibus sumuntur, cùm ipsæ ex sese, suaq; natura non habeant. qui enim audiunt, sciunt quid in deliberationem ueniat, & res ipsa nil opus habet exordio, ni orator sua causa, uel eorum, qui contradicunt; uel si rem maiorem, aut minorem ostendat esse, quàm ab alijs existimetur; uel ornatus gratia, ne mutilum quiddam, aut inconcinnum uideatur oratio, uelit eo uti. De Calumnia uerò extant loci, quorum unus quidem est, quo quæcunque mala de nobis suspicio, & opinio siue aliquo dicente, siue nullo è mentibus dimouetur. Alius, quo occurrimus rebus dubijs, & controuersis, ut uel quòd non sit aliquid, uel non noceat, uel non huic, uel non tantum sit, uel non iniustum, uel non magnum, uel non turpe, uel non magnopere referre. Alius, quo aliquid errore, uel fortuna, uel necessitate factum defendimus. Alius,

De Exordiis Deliberatiui generis.

Calumniq loci.

si is,

si is, qui reprehendit in eodem deprehendatur fuisse errato, siue uitio, uel nunc, uel ante, uel suorum aliquis. Alius, si alij eadem egerint; nec reprehendantur ab aduersarijs nostris. Alius, si is, qui calumniatur, alios calumniatus sit, uel cum alij: aut si sine calumnia aliqui existimati sint culpam commisisse, quemadmodum & nunc qui existimatur, qui tamen postea ab omni culpa remoti fuisse inuenti sint. Alius, cùm calumniantem contra calumniamur. Alius, si eadem de re, de qua quis accusatur, iudicium factum sit. Alius, si calliditas, & calumnia accusatoris reprehendatur, & trahatur in odium. estq; hic locus communis accusatori, & defensori per signa, & notas aliquid demonstrandi. ut Vlysses obijciebat Teucro, quòd familiaris fuisset Priami. Alius utilis tantummodo calumniatori, qui quod modicum est, prolixè laudat, quod magnum breuiter: uel multa bona profert, quod attinet ad causam uituperat. improbi ij quidem sunt. Communis tandem locus est calumnianti, atque defendenti, quòd idem plurium rerum gratia fieri contingat. ut Diomedes dici potest elegisse Vlyssem, quòd putarit eum uirum fortem esse, & quòd sodalem haberet, qui sibi aduersari non posset. I. P. In narratione quænam conseruanda sunt? I. B. Narratio in exornationibus, si quando incidit, non est

De Narratione generis demonstratiui.

ea quidem continuata; sed in partes distincta. cùm enim res uariæ demonstrentur, ut nunc alicuius fortitudo, nunc sapientia, ita etiam de his distinctè narrandum est, ut sit aperta, & plana narratio. atque in quibus uirtus clara est, illam oportet in memoriam reuocare, nec opus est narratione: contrâ uero erit narrandum, si illam non multi nouerint. In iudicijs autem iubent quidam breuem esse narrationem oportere; sed dicamus nos ita esse narrandum, ut satis sit ad causam demonstrandam, ut auditori uideatur aliquem aliquid feciſſe, uel nouisse, uel iniustè egisse, uel tantum factum esse, quantum uoluerit orator uideri. ab eo uerò qui contradicit eatenus narrandum est, quoad contraria ostendat. attexenda insuper narrationi sunt, quæ significationem habebunt uel uirtutis nostræ, uel uitij alterius; & quæcunque iudici iucunda uidebuntur. Defensori minus narrandum est. Si enim quid fatebitur ex ijs, quæ aduersarius criminatur, in eo non erit immorandum, nisi quid ad id, quod fatebitur, quale sit demonstrandum conducat. Facta deinde illa dicenda sunt, quæ dum fiunt, nec ex malis eius, qui passus sit, misericordiam, nec in malorum authorem odium, & indignationem mouent. Oportet uerò moratam esse narra-

De Narratione iudicialis generis.

Defensoris narratio.

Morata narratio.

tionem, & ostendendum est in quas uirtutes, siue in quæ uitia, cuiusq; animus propensus sit, ad non solum animum, & uoluntatem; sed etiam, quænam singulos mores consequuntur, ut quis dum loquitur simul ambulet, contumacis, & agrestis hominis indicantur mores. Debet uerò is, qui dicit, oratione consequi, ut uideatur eius propensus animus ad illa potius, quæ sunt boni uiri. Habere quoque debet narratio significationem motuum animorum, ut illa narrando afferantur, quæ ipsos motus consequuntur. ut qui flere incipiunt, manus ad oculos admouent. & orator ita se ipsum inducet in mõtum, ut se ueluti eum pro quo dicit, & ueluti aduersarium, intueatur auditor.

Narratio permotiones animi significet.

De Narratione in Deliberatiuo genere.

In Deliberationibus narratio minime cadit, nullus enim de rebus futuris narrat. sed si quando incidet, erit præteritorum. ut his memoria repetitis facilius de futuris consulatur, uel etiam ut criminemur, aut laudemus. sed quitum narrat, non eius, qui consilium dat, partes agit. Si uero quid dum narratur minus credibile uidebitur, polliceri debemus, nos id probaturos, & causam, quæ id probabile faciat, mox allaturos. deinde omnia accommodari oportet ad ea, quæ, qui audiunt, plana sibi fieri uolunt. I. P. Nempe sequitur, ut de fide agas. I. B. Quæ ad fidem

De Propositione, & fide, seu confirmatione.

fidem faciendam pertinent, uim probandi habere debent. probatur autem id, quod est in controuersia. quatuor uerò sunt, quæ in controuersiam ueniunt ut si contendas aliquid factum esse, uel aliquem nocuisse, uel tantum nocuisse, uel iniuste fecisse. uel contrà hæc negabis. quod igitur contendes factum fuisse, aut non fuisse, ad id probandum omnis propè conferenda erit argumentatio. Illud uerò nos non lateat in ea controuersia solum, in qua de facto quæritur alterum, eorum, qui litigant, malum censeri: qui enim malam causam suscepisse iudicatur, excusatione uti non potest, quòd per ignorantiam fecerit, quemadmodum uti posset, si iuris controuersia esset. quare cùm de facto contenditur, in eo probando diu commorandum est: in alijs uerò controuersijs non item. In exornationibus plerunque quod aliquid honestum, uel utile sit, amplificatione exageratur. res siquidem gestæ creduntur, atque rarò probantur. quod tum euenit, cùm incredibiles sunt, aut cùm alius eiusdem rei uidetur actionem habere. In deliberando autem contenderet etiam quispiam aliqua uel non futura, uel futura quidem; sed honesta non esse, uel non utilia, uel non tanta, quanta existimantur. atqui non solum quid in controuersia argui possit; sed etiam in ijs,

De statib. causarum

De constitutionib. demonstratiui generis.

De Constitutionib. deliberatiui generis.

quæ procul à quæstione remota sunt, si aliqua quis mentitus sit, intueri oportet. hæc enim argumento erunt etiam cætera ad causam pertinentia, mentita, & falsa esse. Ex formis uerò argumentandi exempla quidem propria sunt deliberationum, ex præteritis enim exempla colligimus, ut ostendamus futura: enthymemata uerò iudiciorum. nam quæ facta sunt, necessitatem habent, & argumentis probari necesse est. Oportet autem enthymemata non continenter poni; sed permixtè, sintq; definita numero. neque deinde ad quanque rem sunt quærenda enthymemata, ne id agas, quod nonnulli Philosophi, qui ratione concludunt notiora, & magis credibilia, quàm illa fuerint, quæ sumuntur ad hæc probanda. nec, cùm animos concitas: nec, cùm mores dicendo exprimis, utaris enthymemate. Sunt uerò difficiliores deliberationes, quàm iudicia, quòd in ipsis de futuris decernatur, in iudicijs autem de præteritis, quæ iam sciri possunt. & in his lex ponitur, ad quam omnia, quæ dicuntur, referri debent. & deliberationes non habent multa diuerticula, ut in iudicijs, quæ dicuntur ad offensionem aduersarij, ad commendationem nostram, ad iudicum animos pertractandos. quare si suasori materies deerit, ad alterius generis

Quæ Argumentationes cuique generi propriæ

Quomodo enthymematis utendum.

Deliberationes difficiliores quàm iudicia.

neris præsidia confugiendum est : quod quidem oratores Athenienses faciunt. In exornationibus quoque, dum unus laudatur, interiectas aliquorum laudes oratio habere debet. ut si de Achille orationem habes, laudes Peleum, deinde Aeacum, tum Iouem. Cùm igitur accedemus ad causam confirmandam illa duo prosequemur, quibus & amabiles mores significando, concilientur, & argumentis probando, doceantur animi. Sin rationes, per quas probemus, nos defecerint, ad mores confugiemus. nam uiro bono conuenit potius se bonum, quàm suam orationem accuratam, uideri. Enthymemata autem, quæ redarguunt, magis probantur, quàm quæ demonstrant. contraria enim inter se comparata magis perspicua fiunt, qui uerò redarguit, contrarium concludit. In reprehensione ijsdem utemur locis, quibus res confirmantur. qui enim reprehendit, aliquid quoque demonstrat, & fidem facit. quare quibus ex locis quid erit confirmatum, ijsdem poterit infirmari. Diluimus igitur tum nos sententijs, ac opinationibus aduersarij nos opponendo, tum argumentis contrâ ratiocinando. Oportet autem & in senatu, & in iudicijs, qui priore loco causam dicit, prius sua confirmare, deinde contraria refellere. at si mul-

Quomodo in confirmatione præter argumenta etiam mores adhibeantur

Quæ enthymemata magis probentur

De confutatione.

Quando prius confirmandũ quam confutandum uel contra

tiplex erit contrariorum uis, prius aduersaria erunt euertenda. qui uerò deinceps dicturus est, prius contraria infirmabit, ut futuræ quoque orationi sit locus, uel contra omnia, uel præcipua, uel grauia, uel leuia etiam pugnando. In moribus autem quoniam nonnulla, cùm de nobis dicimus, inuidiam habent, uel nimia uidentur, uel quid contra obijci potest, & cum de altero, uel contumeliosa, uel agrestia existimantur, alium loquentem faciemus. Oportet autem non eandem semper tenere formam dicendi in argumentando; sed mutare enthymemata, atque interdum sententiose dicere. Hic adiungendum uidetur de Interrogatione, & Responsione. Sunt uerò quatuor tempora, quando opportunè interrogamus, cùm re una interrogata, aliquid quod quis pronuntiauit, absurdum fieri contingit. ut Pericles interrogauit Lamponem de sacris, qui respondit, eum audire non posse, qui initiatus non esset, rogauit ille, an ipse sciret, qui cùm affirmasset, intulit Pericles. quomodo tu scire potes non initiatus? & cùm altera propositio manifesta sit, alteram interroganti scis daturum aduersarium. Oportet uerò de hac interrogare, de manifesta minime; sed illa interrogata, statim concludendum est. ut Socrates dicente Melito, eum censeret

Quomodo de nobis ipsis dicendum.

Quomodo argumentatio uarietate distinguatur.

De Interrogatione

censere Deos non esse, rogauit, an putaret se fateri Dæmonium aliquod esse, qui cum affirmasset, adiunxit. an Dæmones Deorum filij essent, aut diuinum aliquid, id quoque concessit. inuenitur igitur intulit Socrates, qui Deorum filios arbitretur esse, Deos uerò non arbitretur? & cum uoles ostendere aduersarium pugnantia dicere, aut incredibilia. & cum in re ipsa nihil insit, quo refellere nos aduersarius possit, nisi fallaci respondendi ratione. Cum hæc quatuor tempora non inciderint, non erit urgendus aduersarius. si enim interrogationibus resisteret, uideretur obtinere potiorem partem, minimeq; licet eum præterea pluribus interrogare. Respondere uerò contra oportet, atque ad ea quidem, quæ ambigua erunt, continuata oratione distinguendo, non concisa breuitate: ad ea uerò quæ nobis aduersari uidebuntur, responsione statim illa præueniendo, ac infirmationem afferendo, priusquam aliquid nos, quod absurdum sequatur, aduersarius interroget, aut concludat, deinde ad ea, quæ quis contra nos concludit, si conclusionem interrogationem fecerit, respondere debemus causam subijciendo. ut Sophocles interrogatus à Pisandro an ipse cum suis collegis censuerit quadrigentorum uirorum dominatum in repub. con-

De Respõsione.

 stituen-

ſtituendum. quid uerò, reſpondit, tibi hæc mala non uidebantur? intulit tum ille. num igitur tu hæc mala egiſti? utique dixit Sophocles; ſed meliora non erant. Quare, qui interrogat, refutatus uidebitur, quoniam rurſus interrogare non oportet, neque concluſionem interrogationem facere, niſi res ipſa plurimum ueritatis habeat. Quoniam interdum utile eſt ridiculo confutare grauitatem, & grauitate ridiculum: ex poetica, quæ diximus de ridiculis, homine libero digna huc transferri poterunt. in his eſt etiam ironia, diſſimulantiaq; ſcurrili ioco liberalior, & uenuſtior. homo enim facetus ſua cauſa riſum mouet, ſcurra uerò alterius. I. P. Vnum iam reſtare uideo, quæ præcepta ſint perorationis. I. B. Ita ſanè. Peroratio quatuor ex rebus conſtat. ut auditor bene de nobis, malè de aduerſarijs exiſtimet: expoſiti uerò ſunt Loci, ex quibus bonus quis, aut malus uideri poſſit. ut quæ demonſtrata fuerint, augeantur, & extenuentur: atque de his quoque traditi ſunt loci. ut auditor ad motus animorum impellatur, ad miſericordiam, indignationem, iram, odium, inuidiam, æmulationem, de quibus pariter dictum eſt. ut tandem de his, quæ ante dicta fuerint, auditoris memoria redintegretur, breuiter, ſummatimq; quæ

De Ridiculis.

De Peroratione.

Enumeratio.

probaueris, enumerando. id enim caput est in peroratione, demonstrare nos, quæ polliciti fuimus, præstitisse. quare dicendum est, quæ illa fuerint, & quibus rationibus sint comprobata. Hæc ucrò dicuntur, per comparationem nostrarum, & aduersarij argumentationum, aut cùm è regione contraria occurrunt, aut etiam non occurrunt contraria: ut aduersarius id dixit, ego uerò hoc. aut quæ cùm ironia dicuntur, ut scilicet ab isto hæc dicta sunt, à me uerò illa: quid faceret si hæc, non illa demonstrasset. aut interrogando; ut quid à me non est demonstratum? Si iam sine comparatione dicas, quo ordine demonstrata sunt, ita enumerabis tua: & rursus si uolueris, quæ aduersarij erunt, expones. Conuenit autem in extrema parte orationis, ut dissolutè dicatur; ut peroratio sit, non oratio. ut, dixi, audiuistis, tenetis, iudicate. Habes iam quid, & quomodo in causis forensibus dicas: ad quarum similitudinem poteris quamuis quæstionem tractare; ut tandem habeas facultatem, qua ualeas de quauis re proposita dicere ad persuadendum accommodatè. Quare hanc populum, sub qua stantes hanc tertiam disputationem absoluimus, nunc demum relinquamus.

Modi plures enumerandi.

FINIS.

REGISTRVM

a b c d e f g h i.

Omnes sunt quaterniones.

VENETIIS APVD ANDREAM
Valuassorem cognomento Guadagninum.
M D L V I I.